This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

AH
2760
5

SYMBOLAE

AD

EUMENIS II. PERGAMENORUM

REGIS HISTORIAM.

AH 2760.5

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

BOUGHT FROM THE

AMEY RICHMOND SHELDON
FUND

Sachsen.

Herrn Prof. Dr. Sachse
H. f. E.
d. Verf.

SYMBOLAE AD EUMENIS II. PERGAMENORUM REGIS HISTORIAM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CURTIUS MEISCHKE

GROICIENSIS.

LIPSIAE

TYPIS I. B. HIRSCHFELDI

MDCCCLXXXXII.

~~AH 2757.13~~
AH 2760.5
HARVARD COLLEGE LIBRARY
BOUGHT FROM THE
AMEY RICHMOND SHELDON
FUND
Mar 30, 1936

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

TABULA ARGUMENTI.

I. De nummis Eumene rege percussis 2
II. Quo tempore et quot annos natus Eumenes rex Attalo patri successerit 12
III. Quod regnum Eumeni regi a patre relictum sit 30
IV. De bellis Eumenis regis cum Nabide Lacedaemoniorum tyranno gestis 46
V. De bello Antiochino 67
A. De legatis, qui ante bellum initum a Romanis et Antiocho rege mittebantur 67
B. De rebus ab Eumene rege in Graecia gestis 79
C. De expeditionibus ab Antiocho et Seleuco in Eumenis regnum factis 85
VI. De honoribus Eumeni regi ab Achaeis tributis 95

Carolus Humann, qui anno h. s. LXXVIII. auspiciis divi Guilelmi, Germanorum imperatoris Borussorumque regis, Pergamum coeperat oppidum investigare, cum post octo fere annos aliis viris doctis adiuvantibus ad finem perduxisset, quod prosperrimo eventu erat ingressus, Pergamum oppidum, quoad fieri potuit, detexit, antiquissimum Attalicorum regni caput ut nunc, quale fuerit, satis dilucide perspiciamus. Quo facto denuo Pergamenarum rerum studium est excitatum, praesertim cum magno titulorum numero invento haud paucae quaestiones solvantur, quae res Pergamenas sive intestinas sive externas tractantibus sunt instituendae. Non indignum igitur ratus his rebus occupari Eumenis alterius, regum Pergamenorum omnium illustrissimi, vitam componere animum induxeram, sed cum in conscribendo libello materia mirum in modum crevisset, hoc quidem conatu destiti atque in praesenti nonnullas symbolas ad Eumenis II., Pergamenorum regis, historiam emittere satis habeo.

I.

DE NUMMIS EUMENE II. REGE PERCUSSIS.

Atque primum quidem paucis verbis disserendum est de nummis Eumene II. regnante percussis. Qua de re optime meritus est Imhoof-Blümer, cum anno h. s. LXXXIV. nummos Pergamenos, qui in multis libris commentationibusque a viris doctis [1]) in lucem erant editi et tractati, conquisitos foras ederet in libro: 'Die Münzen der Dynastie Pergamon' in

---

1) Choiseul-Gouffier: Voyage pittoresque de la Grèce tom. II. Paris. 1809. p. 42 sqq.
Mionnet: Description des medailles antiques grecques et romaines Paris. 1807/37 vol. II. p. 619 sqq. et suppl. V. p. 477 sqq.
Eckhel: Doctrina nummorum veterum vol. II. ed. II. Vindob. 1839. p. 473 sqq.
van Capelle: De regibus et antiquitatibus Pergamenis in commentationum Latinarum tertiae classis instituti regii Belgici vol. VII. Amstelodami 1842 part. alt. c. IV. p. 141 sqq.
M. H. E. Meier: 'Pergamenisches Reich' in encyclopaediae universalis ab Erschio et Grubero editae 1842 sect. III. part. XVI. p. 355.
von Prokesch-Osten: in memoriis academiae Vindobonensis 1859 p. 320 sqq. et in actis archaeologicis 1867 p. 19 sqq.
Hultsch: Griechische und römische Metrologie ed. II. Berol. 1882. p. 567 sqq.
Buschmann: De Eumene II. rege Pergamenorum pars prior in progr. gymn. Varendorfiensi 1874. p. 2 sq.
Friedlaender et von Sallet: Das königliche Münzkabinet. Berol. 1877. p. 138 sqq.
Head: A Guide to the Coins of the Ancients Lond. mus. Brit. 1881 p. 89 et Historia nummorum Oxoniae 1887. p. 460 sqq.

commentationibus academiae Borussicae (1884). Qui nummos Pergamenos postquam percensuit et quomodo iudicandum esset de illis docuit, nunc eius merito difficillimam illam quaestionem numismaticam profligatam atque etiam ad exitum adductam esse nemo infitiabitur. Attamen cum hic illic Imhoof non prorsus me habeat assentientem, iam aperiam, quatenus de nummis Pergamenis Eumene rege cusis ab eo dissentiam.

In primis vero hic mihi agendum est de tetradrachmo argenteo illo, cui soli Eumenis II. regis caput est impressum. Qui nummus [1]) ab Imhoofio p. 13 accuratissime descriptus est, quem ut inspiciant legentes precor. Head percussum esse tetradrachmum in insula Syro nobis persuadere voluit, quod pars eius aversa similis esset Syri tetradrachmis, quibus verba ΘΕΩΝ ΚΑΒΕΙΡΩΝ ΣΥΡΙΩΝ inscripta essent, eumque Imhoof [2]) est secutus, qui perrara esse illa Syri tetradrachma iam ipse professus est.

Sed hoc unum certum esse persuasum habeo extra Pergamenorum regnum esse factum nummum, quia intra regni fines ubique tetradrachma signabantur capite divi Philetaeri, qui condiderat regnum, neque unquam capite eius, qui regnabat. Quod etsi ad Syrum insulam quadrat, quam regum Pergamenorum imperio nunquam subiectam fuisse inter omnes constat, tamen duabus de causis comprobari nequit ex insula Syro tetradrachmum illud esse oriundum. Nam cum Eumenis II. regis caput et verba ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΕΥΜΕΝΟΥ in nummo inveniantur, illum esse cusum in Eumenis honorem manifestum est. Qua in re Syrum insulam vinculo quodam cum Eumene coniunctam fuisse ponitur, quod neque est traditum neque veri prae se fert similitudinem. Nullus praeterea omnium Syri nummum notatione loci, quo percussus est, caret semperque insula est designata aut vocabulo ΣΥΡΙΩΝ, ut in nonnullis

1) Depictum est tetradrachmum apud Headium: 'A Guide to the Coins of the Ancients' tab. 48. 7, Imhoofium: l. l. tab. III. 18 et apud eundem 'Portraitköpfe auf antiken Münzen hellenischer und hellenistischer Völker.' Lips. 1885 tab. IV. 15.

2) l. l. et 'Portraitköpfe' p. 32.

praesto est ΘΕΩΝ ΚΑΒΕΙΡΩΝ ΣΥΡΙΩΝ, ΕΡΜΗΣ ΣΥΡΙΩΝ, aut compendiis ΣΥΡΙ, ΣΥΡ, ΣΥ (cfr. Mionn. suppl. IV. p. 404 sqq., Eckh. vol. III. p. 337 sqq., Head p. 419 sqq.).

At cum loci nomen, ex quo tetradrachmum exstitit, additum in nummo ipso exspectemus, quia non est, ut iam supra diximus, Pergamenus sed in Eumenis regis honorem extra regni fines cusus, litteris ΔΙΛ, quae in eius effigie apud Imhoofium tab. III. 18 leguntur, monetam significari certissimum est. Quarum litterarum tertia perspicue distingui non potest atque dubitaverit quispiam, utrum ΔΙΑ an ΔΙΛ an ΔΙΔ sit legendum. In compendio vero ΔΙΛ nullius, quantum equidem scio, civitatis nomen inest neque facile quisquam ex compendio ΔΙΑ probabilem in modum monetae nomen eruet. Ipse primum cogitavi de Dia insula, quae prope Cretam sita est, ubi, cum Eumenem regem cum nonnullis Cretae oppidis velut Cydoniensium, ut Polybius XXVIII. 15 [1]) testatur, aliorumque Cretensium, quorum nomina titulo Cretensi in Monumenti antichi vol. I. puntata 1ª. 1890 p. 38 sqq. memoriae sunt tradita, tum plurimis Graeciae oppidis (cfr. Polyb. XXXII. 22. 5, Liv. XXXXII. 5. 3) familiarissime usum esse haud ignoremus, nummus in regis honorem tali modo signari potuit. Sed ne unum quidem nummum Diae habemus, ex quo apparet in insula, quae perparvula est, officinam non fuisse. Neque vero dubito, quin Dia illo tempore in maioris nescio cuius oppidi Cretensis dicione fuerit, ut incolae argento illius uterentur. Cum autem insula non longe a Cnossiorum portu Heracleio (cfr. Strab. X. 5. 1, p. 484) abesset, illam Cnossiorum iuris tunc fuisse non est improbabile ac verisimillimum in insula Dia fuisse in usu Cnossiorum nummos, quorum non pauci sunt conservati (cfr. Head p. 388 sqq.).

Tum ex oppido Dia, quod etiam vocabatur Diopolis et Ponto Euxino adiacebat, ortum esse tetradrachmum credebam. Quo in oppido nummos signatos esse non nescimus (cfr. Mionn.

1) In testimoniis Polybii afferendis secutus sum editionem Hultschianam Berol. 1867/72.

suppl. V. p. 37 sqq., Sestini: Classes générales ed. II. Flor. 1821 p. 67 sqq., Head p. 440 sqq.), sed in iis moneta litteris ΔΙΑΣ denotatur. Nominis ΔΙΑΣ autem in tetradrachmo illo compendium ΔΙΑ esse non credo, quoniam id in nullo alio occurrit nummo. Accedit quod parum est credibile Diae nummum in Eumenis regis honorem percussum esse, cum id oppidum illo tempore sub Pharnacis, Ponti regis, imperio fuisse videatur, qui cum Eumene II. rege semper fere inimicitias exercebat.

Quae cum ita sint, solum compendium ΔΙΔ relinquitur, quod ad unum, ut mihi quidem videtur, nomen referri potest. Apollinis Didymaei dico oraculum [1]), quod modico intervallo ab oppido Mileto distabat (cfr. Strab. XIV. 1. 5. p. 634, Plin. nat. hist. V. 31) quodque iam apud Herodotum VI. 19 commemoratur et Pausania VII. 2 teste multo ante Jonum commigrationem conditum est. Quod appellabatur *Δίδυμα* (cfr. Steph. Byz. s. v. *Δίδυμα*, Strab. XI. 11. 4. p. 518), templum autem *τὸ ἐν Διδύμοις ἱερόν* (cfr. Strab. IX. 3. 9. p. 421, Herod. l. c., Paus. l. c.). Huius autem templi antistites ius nummos feriendi habuisse vel inde apparet, quod nummi, quibus verba sunt inscripta ΕΓΔΙΔΥΜΩΝΙΕΡΗ, servati sunt (cfr. Mionn. suppl. V., Eckh. vol. II. p. 530 sqq., Head p. 502 sqq.). Itaque in tetradrachmo ΔΙΔ compendium scriptum esse putaverim pro ΔΙΔΥΜΩΝ. Potest quidem, quia ludi *Διδύμεια* Mileti in Didymaei Apollinis honorem agebantur (cfr. C. I. Gr. 3208. 2881. 2882), etiam pro ΔΙΔΥΜΕΙΑ, ut in nummis ludi vocantur veluti ΔΙΔΥΜΕΙΑ ΜΙΛΗΣΙΩΝ in nummis, quibus capita Valeriani et Gallieni impressa sunt, vel pro ΔΙΔΥΜΕΥΣ positum videri, ut Apollo Didymaeus ipse in nummis Caligulae et Claudi ΔΙΔΥΜΕΥΣ ΜΙΛΗΣΙΩΝ et in sequentium imperatorum ΔΙΔΥΜΕΥΣ significatur. Sed ΔΙΔΥΜΕΙΑ et ΔΙΔΥΜΕΥΣ non inveniuntur nisi in nummis posterioris aetatis.

De Eumenis autem amicitia cum Milesiis antequam quaeratur, haec praemoneam de necessitudine, qua Didyma Mi-

---

1) cfr. O. Rayet: Le temple d'Apollon Didyméen. Paris. 1876.

leto erant adiuncta. De qua Strabo XIV. 1. 5 p. 634 haec habet: *ἐνεπρήσθη (τὸ μαντεῖον τοῦ Διδυμέως Ἀπόλλωνος) δ'ὑπὸ Ξέρξου, καθάπερ καὶ τὰ ἄλλα ἱερὰ πλὴν τοῦ ἐν Ἐφέσῳ· οἱ δὲ Βραγχίδαι τοὺς θησαυροὺς τοῦ θεοῦ παραδόντες τῷ Πέρσῃ φεύγοντι συναπῆραν τοῦ μὴ τῖσαι δίκας τῆς ἱεροσυλίας καὶ τῆς προδοσίας· ὕστερον δ'οἱ Μιλήσιοι μέγιστον νεὼν τῶν πάντων κατεσκεύασαν, διέμεινε δὲ χωρὶς ὀροφῆς διὰ τὸ μέγεθος· κώμης γοῦν κατοικίαν ὁ τοῦ σηκοῦ περίβολος δέδεκται καὶ ἄλσος ἐντός τε καὶ ἐκτὸς πολυτελές· ἄλλοι δὲ σηκοὶ τὸ μαντεῖον καὶ τὰ ἱερὰ συνέχουσιν.*

Didymorum autem templum et oraculum erat Milesiorum eamque ob causam Milesiis, ut testatur Pausanias I. 16 et VIII. 46, restituit Seleucus Nicator Apollinis statuam, quam Xerxes Ecbatana deportandam curaverat. Quapropter etiam Miletus appellabatur *τροφὸς τοῦ Διδυμέου Ἀπόλλωνος* in titulo ab Ottone Riemanno edito (Bull. de corr. hell. I (1877) p. 288 sqq. nr. 65). Aberat autem non procul ab Eumenis regis finibus, praesertim cum ex anno 188 a. Chr. n. Lydia et Tralles, Ephesus, Telmessus regi Pergameno attributa essent (cfr. Polyb. XXI. 48. 10, Liv. XXXVIII. 39. 16) et Milesiis, qui in bello cum Antiocho III. Magno, Syriae rege, gesto a Romanis steterant, super immunitatem ager sacer appellatus, in quo Didyma sita fuisse videntur, restitutus esset (cfr. Polyb. l. l. § 5, Liv. l. l. § 9). Sed Eumeni regi amicitiam cum Milesiis fuisse haud cunctanter sumi licet, quippe cum uterque in bello Antiochino cum Romanis fecerit et rex beneficiis muneribusque Graecorum et Europae et Asiae oppida civitatesque sibi obstringere omni tempore studuerit (cfr. Polyb. XXXII. 22. 5, Liv. XXXXII. 5. 3). Quibus de causis Didymis tetradrachmum in honorem Eumenis regis esse percussum pro certo habeo.

Restat, ut perpauca de nummo ipso addam. Cuius in parte aversa Dioscuri conspiciuntur, qui tetradrachmo non sine causa impressi esse mihi videntur. Nam primum Dioscuri, qui erant gemini (*δίδυμοι*), locum indicant, quo nummus cusus est. Templum enim et oraculum Didymoi vel Didyma vocatum est, quod Apollini et Dianae, Latonae geminis, erat

sacrum[1]). Deinde Dioscuri magistri certaminum gymniacorum[2]) colebantur, quae etiam ludis Didymaeensibus acta esse ex titulis C. I. Gr. 2281/2. 3208 cognoscitur. Tum mea quidem sententia Castor et Pollux nominatim ad Eumenem regem eiusque fratres spectant. Erant enim symbolum fraterni amoris[3]) et in tetradrachmo Eumenis regis honoris causa facto haud dubie nos commonefaciant, quantopere rex fratres suos dilexerit et amaverit. Qui Eumenis amor multis firmatur testimoniis (cfr. exempli gratia Plut. de frat. am. 18 et reg. et imp. apophthegmata p. 220 editionis Didotianae, Diod. XXIX. fr. 34 ed. Dindorfius Lips. 1867) atque etiam Philippus V., Macedonum rex, qui Eumeni erat inimicissimus, illum erga fratres amorem filiis suis inter se dissidentibus exemplum praeclarissimum proposuit ad imitandum (cfr. Polyb. XXIII. 11. 6 sq., Liv. XXXX. 8. 14).

Imagine autem Eumenis II. regis tetradrachmo impressa comprobantur, quae apud Polybium scripta videmus. Nam ex regis genis concavis et faciei languore colligendum est illum et valetudine et natura fuisse imbecillum infirmumque, qua de re Polybius compluribus locis verba facit (cfr. XXIV. 5, XXX. 2. 5 (Liv. XXXXV. 19. 11), XXXII. 22).

Alterum nummum genus, in quibus Eumenis regis nomen invenitur, sunt cistophori apud Imhoofium tab. IV. 1 – 4 (cfr. indicem B. II. 82—85) depicti. Quorum in parte aversa litterae ΒΑ ΕΥ, quas formas esse breviatas pro ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΕΥΜΕΝΟΥ vir doctus iam optime cognovit, et ΘΥΑ, ΑΠΟΛ, ΣΤΡΑ leguntur. Harum autem inscriptionum ΘΥΑ significare monetam h. e. in oppido Thyatira cistophorum percussum esse idem rectissime animadvertit. Atque etiam reliquos cistophoros

1) cfr. Welcker: Griechische Götterlehre Gottingae 1860 tom. I. p. 527 sqq.

2) cfr. Pind. nem. X. 49 sqq., olymp. III. 34 sqq., Welcker tom. II. p. 423 sqq., Preller: Griechische Mythologie Berol. 1875 tom. II. p. 101 sqq.

3) cfr. Plut. de frat. am. 11, Welcker tom. II. p. 421 sqq., Preller tom. II. p. 103 sqq.

(tab. IV. 2—4, B. II. 83—85) [1]) huc rettulit, qui a cistophoro illo differrent, quod pro oppidi nominis litteris primis alterum caput positum et littera B in Δ mutata esset et magistratus nomina ΑΠΟΛ et ΣΤΡΑ typo essent inserta. Cum vero nummi haud dubie inter se discrepent, luce clarius est cistophorum B. 82 prius signatum esse quam B. 83—85. Partes enim aversas cistophorum si diligentius inspexeris, magis composite formatas esse negare non poteris. Antea anguium incurvatorum a dextra erat caput deae, ut videtur, a sinistra litterae ΘΥΑ, postea et sinistra et dextra caput invenitur, et in B. 83 tab. IV. 2 quidem sinistra dei barbati et dextra deae, in B. 84 et 85 tab. IV. 3 et 4 sinistra deae et dextra dei barbati caput esse videtur, et sub anguibus litterae ΑΠΟΛ et ΣΤΡΑ.

Sub litteris ΒΑ ΕΥ in B. 82 tab. IV. 1 littera B et in B. 83—85 tab. IV. 2—4 Δ est inscripta, quas ad ΒΑ ΕΥ referendas alterum et quartum annum indicare, postquam Eumenes coeperit regnare, Imhoof iam perspexit. Itaque cistophorus B. 82 anno secundo est cusus, quo Eumenes rex imperium Thyatirae obtinuit, i. e. non anno 188 a. Chr. n., ut Imhoof asseverat, sed 187, quia Thyatirae anno demum 188 a. Chr. n. nummos, quibus litterae ΒΑ ΕΥ sunt inscriptae, signandi facultas data est. Antea enim Thyatira oppidum in Antiochi III. Magni, Syriae regis, potestate erat et in Eumenis imperium cessit non anno 189, ut Imhoof arbitratur, sed anno 188 a. Chr. n. (a. u. c. 566, Ol. 147_4). Nam ineunte iam aestate anni 188 Eumenes rex et decem legati ad res Asiaticas componendas a Romanis missi Ephesum appulerunt et, postquam Apameam venerunt pacemque cum Antiocho inierunt, Eumeni regi terras

---

1) cfr. ad B. 82 tab. IV. 1. Borell: Num. chronicle VIII. 13. Dumersan: Revue numismatique 1846 p. 266. Pinder: 'Über die Cistophoren' in commentationibus academiae Borussicae 1855 p. 565. 136.

ad B. 83 tab. IV. 2 Bunbury: Num. chronicle 1883 p. 196, tab. X. 13.

ad B. 84 tab. IV. 3 Pinder: l. l. p. 565. 137.

ad B. 85 tab. IV. 4 Bunbury: l. l. p. 195, tab. X. 12.

illas oppidaque tradiderunt, quae ut pro meritis in populum Romanum ei dono darentur senatus populusque Romanus decreverat (cfr. Polyb. XXI. 24. 5 sqq. et 44 sqq., Liv. XXXVII. 55/56 et XXXVIII. 37 sqq.). Itaque cistophori litteram Δ ferentes (B. 83—85) non anno 186 a. Chr. n., ut Imhoof voluit, sed anno 185 percussi essent, si illorum moneta esset Thyatira.

Sed inde, quod Imhoof illa tria inter se diversa nummum genera (B. 83—85 tab. IV. 2—4) — habemus autem eius generis, cuius unum exemplum Imhoof profert B. 85 tab. IV. 4, duos cistophoros — eodem anno eodemque in oppido signata esse putavit, facile conicias eum per errorem lapsum esse, cum quattuor illa cistophorum genera (B. 82—85) ex Thyatirae officina orta esse et pro moneta omissa in cistophoris B. 83—85 nomina officinatorum monetae scripta esse sumpsit. Si enim Imhoofium sequeremur, uno anno 185 a. Chr. n. Thyatirae tria genera cistophorum facta esse statuendum esset, duo eaque inter se discrepantia ΑΠΟΛ... monetae praeposito (B. 83—84), tertium, cum ΣΤΡΑ... esset officinator (B. 85). Quae triplex notarum commutatio uno anno Thyatirae, in oppido tam parvo, fieri nullo pacto potuit. Huc accedit, quod nihil omnino causae erat, cur tetradrachmis pro monetae officinatoribus monogrammata et cistophoris eiusdem temporis primae nominum litterae inscriberentur.

Sin autem quattuor genera eodem modo diiudicaverimus, ad illum exitum perveniemus, qui aliquantum probabilior solus, ut equidem credo, nos ad veritatem adducit. Namque si monetam significatam esse in cistophoro B. 82 litteris ΘΥΑ ponitur, in reliquis cistophoris (B. 83—85), etiam si duobus annis post sunt cusi, eandem loci denotationem exspectandam esse quis est, quin concedat? Quapropter cum litteras ΑΠΟΛ et ΣΤΡΑ esse oppidorum nomina necesse sit, hoc pro ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΕΙΑΣ, illud pro ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΣ scriptum esse contendo [1]). Horum autem oppidorum Apollonia

1) Similiter in ceteris cistophoris oppidorum nomina non sunt perscripta: ΣΜΥΡ (Smyrna), ΕΦΕ (Ephesus), ΣΑΡ (Sardis), ΤΡΑΛ (Tralles), ΑΠΑ (Apamea), ΛΑΟ (Laodicea) (cfr. Pinder: l. l.).

inter Pergamum et Sardis sita non procul a Thyatira aberat. Commemoratur apud Xenophontem Anab. VII. 8. 15 et Plinium nat. hist. V. 33, sed accuratius oppidi depingunt situm Stephanus Byzantius s. v. *Ἀπολλωνία* verbis *Μυσίας πόλις* et Strabo XIII. 4. 4 p. 625, qui dicit in Teuthrania, quae est Mysiae regio, illud oppidum esse positum. Ut Thyatira sic Apollonia quoque anno a. Chr. n. 188 dicionis Pergamenae facta est. Itaque cistophori B. 83. 84 littera Δ insigniti anno a. Chr. n. 185 hic sunt orti.

Multo vero difficilius est ad diiudicandum, quae Stratonicea sit intellegenda. Et illa quidem, quae sita erat in Caria, primum erat Rhodiorum, qui oppidum ab Antiocho Seleuco acceperant (cfr. Polyb. XXXI. 7), postea anno a. Chr. n. 166 ab Romanis est liberata. Itaque duobus ex aliis oppidis quin alterum sit accipiendum non dubito. Altera Stratonicea quo loco sita fuerit, nunc nescimus, sed, ut ex verbis Strabonis XIV. 2. 25 p. 660 *ἔστι δὲ καὶ ἄλλη Στρατονίκεια, ἡ πρὸς τῷ Ταύρῳ καλουμένη, πολίχνιον προσκείμενον τῷ ὄρει* et Stephani Byzantii s. v. *Στρατονίκεια· ἔστι καὶ ἕτερον πολίχνιον πρὸς τῷ Ταύρῳ* cognosci potest, Tauro monti adiacebat. Atque cum anno a. Chr. n. 188 Eumenis regnum usque ad Taurum montem prolatum sit, haec quoque Stratonicea Eumeni regi attribuenda est. Multo tamen verisimilius est alteram Stratoniceam intellegendam esse. Quae in nummis solis reperitur, in quibus Stratoniceae oppido cognomen *Καΐκος* inditum est velut in nummo temporum Caesarianorum ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΕΩΝ ΚΑΙΚΟΣ (cfr. Head l. l. p. 466). Haec autem Stratonicea, postquam Hadrianus Romanorum imperator anno 123 p. Chr. n. ibi commemoratus est, Hadrianopolis est denominata, quod ex titulo invento in oppido Germe, quod nunc 'Kirkaghatch' appellatur, comperimus (cfr. Lebas-Waddington: Inscriptions grecques et latines recueillies en Grèce et en Asie mineure tom. III. part. I. 1043 et eiusdem Explications des inscriptions tom. III. part. II. p. 268 ad 1043). Sed quae a Lebasio sunt prolata, mea quidem sententia non iam possunt probari, postquam ab Headio l. l. res sunt explanatae. Quae Stratonicea non mul-

tum a Germe seu Cyrtonio oppido afuisse videtur [1]) et aeque ac Thyatira et Apollonia anno 188 a. Chr. n. in Eumenis regis potestatem redacta erat. Cum vero ignoremus, num Stratoniceae ad Taurum sitae nummos feriendi ius fuerit, Stratoniceae ad Caicum cistophorum illum anno 185 a. Chr. n. cusum esse malim credere.

Itaque tria illa oppida Thyatira, Apollonia, Stratonicea, quae eodem tempore dicionis Pergamenae sunt facta, cistophoros signabant, quorum parti aversae et tempus, ex quo sub Eumenis imperio erant, et moneta et Eumenis regis nomen impressa sunt. Illis cistophoris in trium oppidorum monetis cusis priore aetate et officinae nomina et litteras ΒΑ ΕΥ inscriptas esse, quo Eumene rege eos percussos esse pateret, statuendum est, posteriore autem aetate neque ante annum 185 a. Chr. n., cistophoros, qui intra Pergameni regni fines feriebantur, monogrammate ΠΡΕ esse exornatos.

1) Sic oppidi situs est pictus ab H. Kieperto: Specialkarte vom westlichen Kleinasien (nach seinen eigenen Reisen und nach vorhandenen grösstentheils noch unveröffentlichten Routenaufnahmen). Berol. 1890 tab. V. Sed miro quodam modo nomen scriptum est Stratonike.

II.

QUO TEMPORE ET QUOT ANNOS NATUS EUMENES II. REX ATTALO I. PATRI SUCCESSERIT.

Attalum I. regem septuaginta duos annos natum de vita decessisse, postquam quadraginta quattuor annos regnavisset, Polybius XVIII. 41. 8 tradidit, qui ex omnibus illorum temporum scriptoribus primus est respiciendus. Numeros autem illos incorruptos memoriae proditos esse e Livi verbis XXXIII. 21. 1 cognoscimus, quibus, cum mirum in modum congruant cum verbis Polybianis, hoc quoque loco Livium auctore usum esse Polybio optime dilucidatur (cfr. Nisseni librum luculentissimum 'Kritische Untersuchungen über die Quellen der IV. und V. Decade des Livius.' Berol. 1863 p. 142 sqq. et Tillmanns: Disputatio qua ratione Livius Polybi historiis usus sit part. I. (quomodo Livius adhibuerit Polybium fontem in componendis libris XXXI—XLV), dissert. philol. Bonnae 1860). Contra Strabo, qui in libro XIII. 4. 2 p. 624 res a Pergamenorum regibus gestas paucis complectitur, Attalum I. regem obiisse senem et annos quadraginta tres regnavisse narravit. Quae cum a verbis Polybii abhorreant, alium fontem a Strabone esse adhibitum consentaneum est, Posidonii ut videtur (cfr. Otto: Quaestiones Strabonianae in stud. Lips. XI. suppl.) Nam Strabo Eumenem II. undequinquaginta, Attalum II. viginti unum, Attalum III. quinque annos Pergamenorum res publicas rexisse docet. Certissimum autem est Attalum III., Eumenis II. regis filium, anno 133 a. Chr. n.

vita excessisse, Strabonis vero si calculis innitimur, annum 159 a. Chr. n., quo Eumenes II. rex mortuus sit, et annum 207, quo regnum sit auspicatus, consequimur. Iam ex Livio, qui in libro XXXIII. inter res anno 197 a. Chr. n. gestas Attali mortem enarravit, Eumenem II. anno 197 a. Chr. n. regnare coepisse comperimus, itaque, si undequinquaginta annos rem publicam moderatus esset, eum anno 148 a. Chr. n. diem supremum obiisse statuendum erat. Ex quo quid est proclivius quam illos undequinquaginta annos esse perturbatos, quod iam Simson: Chron. univ., Schweighaeuser ad Polyb. l. l., Boeckh ad C. I. Gr. I. p. 164, Clinton: Fasti hellenici tom. III. p. 403 sqq., Capelle l. l. p. 151 adn. 1, Meier l. l. p. 350 alii recte monuerunt? Librarii vero mendum in Strabonis verbis *τεσσαράκοντα καὶ ἐννέα* esse arbitrati viri docti *τριάκοντα καὶ ἐννέα* scribendum proposuerunt; ac facillime sane ΛΘ permutari potuit in ΜΘ et fortasse etiam *τριάκοντα καὶ ἐννέα* in verba *τεσσαράκοντα καὶ ἐννέα*.

Tamen in Strabonianorum contextu corruptelam tollere nemo est ausus, nisi quod Otto l. l. p. 35 lectionem *τριάκοντα καὶ ἐννέα* in Strabonis hypomnematon verba recepit. Itaque Eumenem regnavisse undequadraginta annos (inde ab anno 197 usque ad annum a. Chr. n. 159) computabis, si et primum et postremum annum ad numerum annorum, per quos imperium tenebat, addideris. Nihilominus est concedendum non satis accurate hoc dictum esse, cum Eumenes duodequadraginta tantum annos regiam potestatem habuerit. Neque vero conici licet apud Strabonem l. l. ΛΗ pro ΜΘ scriptum fuisse, quia Strabo ipse, quem undequadragesimum annum Eumeni regi attribuit, detraxit de quadraginta quattuor annis, per quos Attalus I. Pergamenorum rei publicae praefuit; nam Attalum inde ab anno 241 usque ad annum 197 a. Chr. n. regnavisse non nescimus. Polybii igitur auctoris gravioris testimonium fide dignissimum reperimus ac cum Clintonio est dicendum unum annum a Strabone de Attali I. regis annis deductum ad illos Eumenis regis esse additum et imperium obtinuisse Attalum I. quadraginta quattuor et Eumenem duode-

quadraginta annos. Itaque aut Strabonem ipsum aut eius auctorem lapsum esse statuendum erit[1].

Iam vero accedamus ad tempus, quo Attalus I. rex mortuus sit, accuratius definiendum. Ut ait Polybius XVIII. 41. 9, Attalus I. rex mortem occubuit *ἐν αὐτοῖς τοῖς καλλίστοις ἔργοις ἀγωνιζόμενος ὑπὲρ τῆς τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερίας* et XXI. 20. 5 *ἐν αὐτοῖς τοῖς ἔργοις κατὰ τὸν Φιλιππικὸν πόλεμον παρακαλῶν Βοιωτοὺς εἰς τὴν ὑμετέραν φιλίαν καὶ συμμαχίαν* (cfr. Liv. XXXVII. 53. 10). Livius XXXIII. 2 nimirum Polybium secutus (cfr. Nissen l. l. p. 142 sqq.) hoc officium, quod ille Romanis praestitit, cum ipse Boeotos, ut societatem cum Romanis facerent, hortaretur, haud paucis verbis descripsit. Ineunte enim anni 197 a. Chr. n. vere Attalus rex ab Elatia cum T. Quinctio Flaminino, cui tunc erat prorogatum imperium (cfr. Liv. XXXII. 28. 9), eiusque copiis per Phocidem Thebas est profectus. Ibi concilio convocato rex primus verba fecit, sed, ut Livium sequar, senior iam et infirmior, quam ut contentionem dicendi sustineret, obmutuit et concidit; et dum regem auferunt perferuntque parte membrorum captum, — correptus igitur est morbo, quem apoplexin vocant — paulisper contio intermissa est, quae eodem Polybio auctore a Plutarcho in T. Quincti Flaminini vita c. 6 eodem fere modo narrantur. Dein concilio dimisso Quinctius, inquit Livius, tantum Thebis moratus, quantum Attali repens casus coegit, postquam non vitae praesens periculum vis morbi attulisse sed membrorum de-

---

1) Meier l. l. p. 368 adn. 84. Polybii et Strabonis verba inter se non repugnare arbitratus Polybium ad annorum numerum quadragesimi quarti initium adscripsisse falso insimulavit. Erravit vir doctus, cum de anni quadragesimi quarti initio annumerando dixit, quamquam ipse Attalum I. anno 241 a. Chr. n. regnare coepisse sumpserat. Immo potius ei dicendum erat quadragesimi quinti initium Polybium accensuisse annis integris, cum putaret primi et extremi anni principiorum illum habuisse rationem veluti plenorum annorum. Talis igitur conatus retinendi Strabonis annos quadraginta tres minime comprobari potest.

bilitatem visa est, relicto eo ad curationem necessariam corporis, Elatiam, unde profectus erat, redit.

Quibus ex verbis Livianis est manifestum Attalum aliquantisper Thebis esse commoratum tum demum aegrum Thebis Pergamum esse advectum (cfr. Liv. XXXIII. 21. 1, Plut. Flam. 6), ubi morbo consumptus est. Exiisse autem de vita regem Meier l. l. p. 368 eodem fere tempore opinatus est, quo pugna ad Cynoscephalas sit commissa, aut non multo post. Neque vero rem ita se habere, etsi Livius XXXVII. 53. 10 his ipsis verbis utitur: postremo cum Boeotos ad societatem vestram hortaretur, in ipsa contione intermortuus haud multo post exspiravit, paulo infra docebimus.

Sed antea enucleemus, quo tempore ad Cynoscephalas Romani cum Philippo V., Macedonum rege, pugnaverint. Quod tempus extra dubitationem ponitur Polybianis XVIII. 20. 3 *ὁ δὲ Τίτος ὑποπτεύσας τὸ μέλλον ἐκίνει τὴν δύναμιν ἅμα τῷ Φιλίππῳ σπεύδων προκαταφθεῖραι τὸν ἐν τῇ Σκοτουσαίᾳ σῖτον.* Haec autem verba G. F. Unger (Die römischen Quellen des Livius in der IV. und V. Decade in Philol. III. suppl. (1878) p. 50 sqq.) sic vult intellegi, ut vocabulo *σῖτον* simpliciter significentur frumenta iam demessa vel areis vel horreis condita, neque insit his verbis certa quaedam temporum descriptio. Quae si ita essent, cur Polybius expressis verbis *προκαταφθεῖραι τὸν ἐν τῇ Σκοτουσαίᾳ σῖτον* dixerit, me non perspicere libenter fateor; scripsisset haud dubie T. Quinctium profectum esse una cum Philippo rege, ut fruges agrorum Scotusaeorum occuparet. Unger igitur, quod facere solet, hoc quoque loco nullam vim ei rei tribuit, quae magni est momenti.

Etenim processit Philippus rex Pheris ad Scotusam cum exercitu spe frumentandi, T. Quinctius, ut praegressus corrumperet hosti frumenta (cfr. Polyb. l. l. Liv. XXXIII. 6. 8.). Itaque cum essent eo tempore fruges in agris Scotusaeis neque demessae, T. Quinctius hostibus frumenta perdere est conatus.

Sed iam maturuisse illa facile est coniciendum, quod ni ita fuisset, neque Philippus spe frumentandi neque T. Quinctius, ut hosti corrumperet frumenta, Scotusam petiissent.

Ut Aug. Mommsen: Heortologie Lips. 1864 p. 402 adnotavit mense Thargelione, qui erat anni Attici undecimus, semper fruges maturae erant i. e. inde a Maio mense medio usque ad Junium medium. Etiam nunc in ipsa Thessalia, quae est prae ceteris Graeciae regionibus caelo aspero, medio mense Junio fruges permaturescunt [1]), atque cum sit colligendum non longe afuisse, quin fruges illo tempore ematurescerent, quia frumenta matura a Scotusensibus in loca tuta a Romanorum et Macedonum exercitibus translata essent neque in agris mansissent, consequitur, ut pugna ad Cynoscephalas post medium Junium mensem factum non sit, fortasse ineunte mense Junio anni 197 a. Chr. n. Quibus de causis comprobari nequeunt, quae viri docti protulerunt Niebuhr, Schorn, Weissenborn, Buschmann [2]) arbitrati commissum esse proelium exeunte mense Junio.

Multo vero ante, fere ad aequinoctium vernum esse pugnatum ad Cynoscephalas Flathe [3]) contendit, sed nimia, ut mihi videtur, audacia. Nam secundum vernum aequinoctium (cfr. Liv. XXXIII. 3. 5) Philippus rex omnes copias Dium in oppidum contraxit, postquam primo vere per omnia regni oppida dilectum habuit, ibique aliquantum temporis stativa posita habuisse videtur, cum exercendo cotidie milite hostem opperiretur. Et T. Quinctius per eosdem ferme dies ab Elatia praeter Thronium et Scarpheam ad Thermo-

1) Quae mihi benignissime perscripsit Th. von Heldreich, cui ne hoc quidem loco quin gratias agam maximas, possum praetermittere.

2) Niebuhr: Kleine historische und philologische Schriften. Bonn. 1828 I. p. 242 sqq. et eiusdem: Vorträge über römische Geschichte ed. Isler 1887 II. p. 157, ubi rectius a Niebuhrio proelium collocatum esse videtur; Schorn: Geschichte Griechenlands von der Entstehung des aetolischen und achaeischen Bundes bis auf die Zerstörung Corinths. Bonn. 1833 p. 252 adn. 2; Weissenborn ad Liv. XXXIII. 24. 3; Buschmann l. l. § 6 p. 7.

3) Flathe: Geschichte Macedoniens. II. Lips. 1834 p. 371 sqq.

pylas profectus per Heracleam, ubi tres fere dies concilio Aetolorum habito est commoratus, Xynias pervenit et in confinio Aenianum Thessalorumque castra locavit exspectans Aetolorum auxilia. Quos etsi nihil moratos esse Livius dicit, tamen eos tempore quodam interiecto illuc advenisse dilucide apparet, cum milites iter parare non possent, nisi postquam in concilio Aetolico est deliberatum, quantis auxiliis Romanum ad bellum sequerentur (Liv. l. l. § 7). Exinde T. Quinctius confestim in Phthioticum agrum exercitu admoto ad Thebas praegressus Phthioticas, quas frustra temptavit, ad Pheras castra collocavit. Illo autem tempore Philippus rex, ut Polybius XXIII. 19 et Livius XXXIII. 5. 4 et c. 6. 2 sqq. prodiderunt, iam in Thessalia erat et, cum circa Larissam certior factus esset T. Quinctium ad Pheras iter fecisse, progressus ipse quoque ad Pheras castra posuit. Sed tertio die, si Polybium l. l. sequimur, castris motis Scotusam petivit, ut exercitui frumentum provideret. Quo eodem tempore, ut iam supra diximus, etiam T. Quinctius processit, ut illum praeveniens frumenta corrumperet. Primo vero die ad Eretriam Phthiotici agri pervenit, cum Philippus rex super amnem Onchestum subsisteret, postero Romanus usque ad Thetideum Pharsaliae terrae, Philippus rex ad Melambium quod vocant Scotusaei agri pervenerunt, tertio tandem ad Cynoscephalas manus contulerunt.

Quae res post aequinoctium vernum gestae sunt iisque tempus usque ad mensem Iunium nemo infitiabitur esse consumptum, sed Iunium quoque non satis mihi videtur probabile [1]).

1) Attamen aliquanto post ad mensem Quintilem pugnam rettulit Matzat: Römische Zeitrechnung für die Jahre 219 bis 1 v. Chr. Berol. 1889. p. 184 sqq., et ad ipsum autumnum E. W. Fischer: Römische Zeittafeln von Roms Gründung bis auf Augustus Tod Alton. 1846 p. 97 ratus verba Liviana ad hoc tempus optime quadrare. Sed consensum illum in Livi rerum gestarum expositione non inesse pro certo est affirmandum neque a Polybii verbis XVIII. 43 *ὅτι κατὰ τὴν Ἑλλάδα μετὰ τὴν μάχην Τίτου παραχειμάζοντος ἐν Ἐλατείᾳ Βοιωτοί* e. q. s. et Livi XXXIII. 27. 5 'hibernabat eo tempore Elatiae T. Quinctius' e. q. s. —

At Livius XXXIII. 24. 3 his ipsis verbis utitur: exitu ferme anni litterae a T. Quinctio venerunt se signis

Fischer per errorem dicit hibernabat Athenis T. Quinctius' nimirum, quod cod. Moguntinus (*M*) 'Athenis' exhibet, sed, quod habet cod. Bambergensis (*B*) 'Elatiae', solum potest comprobari (cfr. Polyb. l. l.) — argumenta peti liceat, cum milites Romani iam brevi post victoriam ad Cynoscephalas a Macedonibus reportatam per oppida dispertiti quasi in hiberna essent deducti, quia indutiis factis in Graecia remanere coacti sunt, quoad senatus populusque Romanus cum Philippo paciscerentur. Neque tamen Fischeri sententia silentio praetereunda est, quam ex Eusebii verbis (ed. Schoene Berol. 1875 I. p. 243) regnavisse Philippum annos viginti tres et menses novem, cum cladem acciperet, sibi finxit autumno esse dimicatum. Ne haec quidem viro docto ullo pacto concedi possunt. Nam Livius XXXX. 54 et XXXXV. 9. 3 narravit regem Philippum mortuum esse anno a. u. c. 575 i. e., cum illa aetate Romani annum inciperent a mense fere Novembri, ad nostram temporum rationem inter menses Novembres annorum 180 et 179 a. Chr. n., et Eusebius p. 238 testatur anno secundo Olympiadis centesimae quinquagesimae i e. inter mensem Iulium anni 179 et Iulium 178 a. Chr. n.: qua re, cum Philippus consulibus Q. Fulvio Flacco L. Manlio Acidino obierit, intra mensem Iulium et Novembrem anni 179 a. Chr. n. regem animam efflasse inter nos conveniet. Regnum autem cum per quadraginta duos annos obtinuerit, ut Eusebius p. 238 et Georgius Syncellus (ed. Niebuhr Bonnae 1829) p. 508 memoriae prodiderunt, non ante mensem Iulium 221 a. Chr. n. (Ol. 139, 4) regnare coepit. Eusebius eum a centesima quadragesima Olympiade imperium tenuisse refert, quod neque accurate dictum est neque cum Eusebii ceteris calculis plane consonat. Itaque, cum proelio ille superaretur, postquam viginti tres annos et novem menses regnavit, pugnam intra menses Aprilem et Sextilem anni 197 a. Chr. n. commissam esse necesse est; neque vero autumno, qui non efficitur, nisi Philippum regnum exeunte anno 221 vel ineunte 220 (Ol. 139, 4) esse auspicatum credas.

Quae haudquaquam dissentiunt a coniectura proelium ad Cynoscephalas ineunte Iunio anni 197 a. Chr. n. esse factum Fischerum secutus esse videtur Aug. Mommsen: 'Delphische Archonten' in Philologi vol. XXIV (1866), cuius verba p. 26 haec sunt: 'Die Ansetzung der aetolischen Strategen kann einmal nützlich werden, um die Schlacht bei Kynoskephalai zu begrenzen; Fischer: Röm. Zeitt. p. 97 setzt sie in den Herbst 197.' Sed id unum consequitur ex inscriptionibus Delphicis ante mensem, quem inde a medio fere Septembri usque ad medium Octobrem pertinentem Delphi quidem vocabant Boathron, Athenienses Boedromiona, armis esse decretum ad Cynoscephalas. Nam tempore hiberno anni 198 a. Chr. n. Phaeneas Aetolorum fuerat praetor (cfr. Polyb. XVIII. 1 sqq.,

conlatis cum rege Philippo in Thessalia pugnasse, hostium exercitum fusum fugatumque. Hae litterae prius in senatu a M. Sergio praetore, deinde ex auctoritate patrum in contione sunt recitatae et ob prospere gestas in dies quinque supplicationes decretae. Brevi post legati et ab T. Quinctio et ab rege Philippo venerunt e. q. s. Sed sunt confusa obscuraque et, ut ego quidem censeo, falsa; atque id unum enucleare licet, qui fieri potuerit, ut Livius scriberet 'exitu anni' e. q. s. Namque nonnullis diebus (cfr. Polyb. XVIII. 34, Liv. XXXIII. 11. 3) post pugnam ad Cynoscephalas commissam ad T. Quinctium, qui Larissam profectus erat arbitratus regem Philippum petivisse illam regionem, Demosthenes, Cycliadas, Limnaeus regis legati venerunt ab eoque indutias quindecim dierum et cum rege ipso colloquium impetraverunt. Atque dum in indutiis res est, de pacis condicionibus agebatur et, priusquam indutiarum dies quindecim praeterierunt aut non multo post, indutiae quattuor mensium (cfr. Polyb. XVIII. 39. 5: *τετραμήνους ἀνοχὰς*) factae sunt, intra quas Philippus de pace legatos Romam mitteret. Haud dubie Philippus rex sine mora — Polybius XVIII. 39. 3 sqq. quidem dicit *τὸ δὲ συνέχον ἦν τῆς ὁρμῆς τῆς τοῦ Τίτου πρὸς τὰς διαλύσεις, ἐπυνθάνετο τὸν Ἀντίοχον ἀπὸ Συρίας ἥχθαι μετὰ δυνάμεως ποιούμενον τὴν ὁρμὴν ἐπὶ τὴν Εὐρώπην κτλ.* et Livius XXXIII. 13. 15: causa Romano imperatori non alia maior fuisse dicitur maturandae pacis, quam quod Antiochum bellum transitumque in Europam moliri constabat — legatos misit eosque viam

---

Liv. XXXII. 32 sqq.) et post proelium idem Phaeneas praetor commemoratur a Polybio XVIII. 37 sqq. (cfr. Liv. XXXIII. 12 sqq.); cuius in locum Alexamenus successit, quem Aetolorum praetorem fuisse, cum T. Quinctius Elatiae hibernaret anno 197/6 a. Chr. n., Polybius XVIII. 43 enarrat. Sed cum Aetolorum praetores mense Delphico Boathro magistratum iniisse non veri sit dissimile (cfr. Aug. Mommsen l. l. p. 24 sqq.), Phaeneas praeturae munere fungebatur a mense Boathro anni 198 usque ad mensem Bucatium anni 197 a. Chr. n. Itaque erat Phaeneas praetor, cum mensis Iunii initio proelium factum est.

propiorem per Dyrrhachium ingressos esse non sine veritatis specie est, ad quam conficiendam, si Strabonem auctorem sequimur, certe ad viginti septem dies opus erant sane remotis difficultatibus et impedimentis, quae tunc quidem saepissime interveniebant.

Attamen, ut Livius l. l. prodidit, litterae a T. Quinctio scriptae exitu demum anni et brevi post legati et a T. Quinctio et a rege Philippo Romam venerunt, sed antequam L. Furius Purpurio et M. Claudius Marcellus inierunt consulatum. Narravit autem Polybius XVIII. 42 legatos Claudio Marcello consule Romam pervenisse i. e., si L. Furius et M. Claudius magistratum secundum illius aetatis (532—600 a. u. c.) morem inde ab Idibus Martiis gesserunt [1]), post Id. Mart. anni a. u. c. 558. Quae abhorrent a Livi verbis; hic non Polybium, sed annalium scriptorem secutus est — Weissenborn ad Liv. c. 25. 1 adnotavit (cfr. etiam Liv. XXXVI. 36. 4) haec non ex Q. Valeri Antiatis annalibus manasse — nam ea, quae breviter et presse de rebus Romanis in capitibus 23—25 exposuit, ex annalium scriptore fluxisse negari non potest [2]).

---

1) cfr. Th. Mommsen: Die römische Chronologie bis auf Caesar. Berol. 1859 p. 102 sqq.

2) Postquam enim triumphi a C. Cornelio Cethego consule de Insubribus Cenomanisque in magistratu et a Q. Minucio Rufo consule de Liguribus Boisque Gallis in monte Albano acti essent, consularia comitia ad creandos consules, quae mense Ianuario inde ab anno 532 usque ad 600 a. u. c. facta esse Th. Mommsen.: Römisches Staatsrecht I. p. 564 sqq. demonstravit, esse habita Livius brevissime exposuit. Deinde exitu ferme anni h. e. exitu anni consularis fortasse mense Februario vel primo Martio anni a. u. c. 557 litteras illas a T. Quinctio Romam venisse et primum a M. Sergio praetore in senatu, deinde in contione recitatas et ob res prospere gestas in dies quinque supplicationes decretas esse. Brevi post legatos et a T. Quinctio et a rege Philippo advenisse et tum cum Macedonum legatis de pacis condicionibus tractatum et more maiorum decem legatos, quorum ex consilio T. Quinctius imperator leges pacis Philippo daret, esse electos. Ad extremum, ut facere solet, Livius paucis verbis refert de ludis Romanis ab aedilibus curulibus P. Cornelio Scipione et Cn. Manlio Vulsone et de ludis plebeiis a M.' Acilio Glabrione et C. Laelio factis. Quibus de ludis Romanis cum dicat:

Annumeres autem ad tempus Philippo regi ad pacem a senatu impetrandam datum indutias quindecim dierum et tempus, quod post pugnam commissam intercedebat, priusquam de pace est actum, et quod praeteribat, dum de indutiis et de pacis legibus faciendis tractatur, non plures quam quinque menses post proelium esse absumptos concedes, intra quos legatos in Macedoniam Roma reverti opus erat, i. e. ante primos mensis Novembris dies. Illo autem tempore Romae C. Cornelius Cethegus et Q. Minucius Rufus erant consules, non L. Furius Purpurio et M. Claudius Marcellus, qui Id. Mart. demum anni 558 a. u. c. consulatum inierunt (ad nostros fastos circiter extremo mense Novembri). Quae cum ita sint, facere non possumus, quin consulibus anni 557 a. u. c. regis Philippi legatos Romam advenisse censeamus atque Polybii verba XVIII. 42 *ὅτι ἐπὶ Μαρκέλλου Κλαυδίου παρειληφότος τὴν ὕπατον ἀρχὴν ἧκον εἰς Ῥώμην οἵ τε παρὰ τοῦ Φιλίππου πρέσβεις οἵ τε παρὰ τοῦ Τίτου καὶ τῶν συμμάχων ὑπὲρ τῶν πρὸς Φίλιππον συνθηκῶν,* sicuti libris sunt comprobata, non satis recte esse dicta. Atque ea esse depravata vel inde luculenter apparet, quod verba *ὅτι ἐπὶ Μαρκέλλου Κλαυδίου παρειληφότος τὴν ὕπατον ἀρχὴν* a consuetudine sermonis Graeci sunt alienissima. Verum litteras ac verba Polybii restituere nostra quidem opera iam non possumus, quia illius verba ab epitomatore quodam sunt decurtata, sed in recuperanda verborum illorum sententia

---

et magnificentius quam alias facti et laetius propter res bello bene gestas spectati oritur quaestio, quae res bello bene gestae sint intellegendae. Hi autem ludi cum semper medio fere mense Septembri ederentur, — summus enim dies a. d. XVI. Kal. Octobr. fuisse videtur — etsi laetitia victoriae a C. Cornelio Cethego reportatae de Insubribus Cenomanisque per se intellegi posse non negaverim, cuius nuntius eo tempore Romam allatus esse potuit, tamen, ut mea fert opinio, laetitia ex victoria ab exercitu Romano T. Quinctio imperatore ad Cynoscephalas parta retinenda est. Fasti enim Romani tum erant tantopere confusi, ut nos quidem certe definire non possimus, quo mense nostrorum fastorum ludi sint celebrati. (cfr. Ideler: Römische Chronologie Berol. 1826 II. p. 96 sqq.; Matzat: l. l. p. 184 sqq.)

requiescendum est. Ex omnibus vero coniecturis, quae hac de re prolatae sunt, maxime mihi arridet Nisseni, qui l. l. p. 143 suspicatur *ὅτι οὐκέτι Μαρκέλλου Κλαυδίου παρειληφότος τὴν ὕπατον ἀρχὴν* e. q. s. Ab his autem verbis Liviana exitu anni ut proficiscerentur, fieri non potuisse non credo neque scio an Polybius in verbis, quae antecedebant, locutus sit de Olympiadis anno exeunte. Quocunque autem modo res se habet, regis Philippi legatos post mensem Sextilem Romam non venisse fortissime, ut mihi quidem videtur, est affirmandum.

Sed, ut revertatur oratio, unde profecta est, Attali I. regis mortem Livius, postquam res bello Macedonico gestas exposuit, libro XXXIII. 21 enarravit, eamque etiam post Philippum regem ad Cynoscephalas victum. Quae cum secundum temporum ordinem narrasse videatur, Livius ipse Attalum regem de vita decessisse post proelium i. e. post Iunii mensis initium anni 197 a. Chr. n. est testatus.

Illius autem temporis res Rhodias paulo ante c. 20. Livius persecutus est. Cum enim Antiochi, Syriae regis, legati in Rhodiorum contione agerent, ut vetusta iura illius maiorumque cum ea civitate renovarent et vetarent eos pertimescere regis adventum, Rhodum in insulam nuntium pervenisse ad Cynoscephalas esse debellatum. Quibus auditis Rhodios dempto metu a Philippo rege, cum non opus esset se obviam ire Antiocho regi, ut impedirent, quominus ille cum Philippo se coniungeret, satis habuisse libertatem civitatum sociarum Ptolemaei, Aegypti regis, tueri, ad quas in suam potestatem redigendas Antiochus in Asiam esset profectus. Cum autem alias auxilio adiuvissent, alias providendo ac praemonendo conatus Antiochi, illos Cauniis, Myndiis, Halicarnassensibus Samiisque libertatem servavisse.

Eodem tempore Attalus rex, inquit Livius c. 21, aeger ab Thebis Pergamum advectus moritur altero et septuagesimo anno, cum quattuor et quadraginta annos regnasset: quibus verbis sine dubio enarravit, quae gesta sunt tum, cum apparuit Antiochum regem

expugnare non posse illas civitates Ptolemaei regis socias, quia a Rhodiis et auxiliis adiutae et de regis consiliis certiores erant factae. Quae Livius non explicavit narrando, nam ipse l. l. dixit: non operae est persequi, ut quaeque acta in his locis sint, cum ad ea, quae propria Romani belli sunt, vix sufficiam. Haec igitur gesta sunt aliquanto post proelium ad Cynoscephalas commissum, nam, quoad Rhodum in insulam nuntius allatus est, tempus non exiguum praeteriit, et Antiochus rex civitatibus illis Graecis bellum intulit, postquam Rhodii Philippo rege devicto cum Antiochi legatis agere omiserunt et providerunt libertati oppidorum Ptolemaei regis sociorum, quibus bellum a rege imminebat. Quae omnia post Romanorum victoriam acciderunt, atque puto ea non ante extremum alterum mensem post illam pugnam facta esse. Itaque Livium auctorem secuti Attalum regem esse mortuum non ante extremum Iulium mensem ponere possumus.

Atque etiam paulo post efflavisse regem animam ex inscriptione edita a Weschero-Foucartio: Inscriptions recueillies à Delphes Paris. 1868 no. 336 et a Dittenbergero: Sylloge inscriptionum Graecarum Lips. 1883. II. no. 447 colligitur. Quo ex titulo Dameas, qui *ὁ ἐπὶ τῶν ἔργων βασιλικῶν* vocatur, ab Attalo rege missus mense Panemo Phaenea Achaeorum praetore et mense Bucatio Emmenida Delphorum archonte Artemidoram, regiam ancillam, Apollini Pythio tribus et quadraginta stateribus aureis vendidit. Quod intra medium mensem Augustum et medium Septembrem [1]) anni 197 a. Chr. n. factum est neque dubito, quin Attalus, quo tempore Dameam Delphos misit, vixerit et in Graecia fuerit. Utrum autem Attalus tum Thebis debilitatus Dameam miserit, ut Artemidoram Delphis in libertatem manu assereret, an eo ipso tempore Pergamum transportatus sit eamque ob causam, quod familiae erat supervacaneum, antea dimi-

---

1) cfr. E. Bischoff: De fastis Graecis antiquioribus in stud. Lips. vol. VII. (1884) p. 313 sqq.

serit[1]), in medio est relinquendum. Sed quod gravissimum est, non debet in dubitationem vocari, quin rex Attalus etiam tum vixerit, cum Dameam Delphos misit, et tum demum Pergamum vectus diem supremum obierit.

Quae cum ita se habeant, non sine causa mihi videor statuere non ante mensem Septembrem Attalum I. regem exstinctum esse — altera igitur parte anni 197 a. Chr. n., 557 a. u. c., Olympiadis 145 anno quarto — et Eumenem filium maximum natu ei successisse.

Atque haec quidem hactenus; videamus nunc, quot annos Eumenes natus fuerit, cum regnare coepit. Pater eius, ut Polybius XVIII. 41. 10 commemorat, quattuor filios superstites reliquit. Apud Livium, qui verba Polybii haud dubie transtulit, codices l. XXXIII. 21. 5 varias lectiones exhibent, sed secundum Polybiana, quae in codice *M* leguntur: 'quos quattuor superstites habuit', in verborum contextum cum Weissenbornio-Müllero sunt recipienda. Hertz in editione sua scripsit 'duos superstites habuit', quod, etsi codice Bambergensi et editione Moguntina comprobatur, retineri non potest, cum repugnent verba et Polybii l. l. et Strabonis XIII. 4. 2 p. 624 et Livi ipsius, qui, ut hoc unum afferam, l. XXXXII. 55. 7 de Eumenis regis tribus fratribus verba facit haec: Per idem tempus Eumenes ad Chalcidem navibus accessit cum Attalo atque Athenaeo fratribus, Philetaero fratre relicto Pergami ad tutelam regni. Veram autem lectionem hic librarii cuiusdam manu esse perturbatam et, nisi omnia me fallunt, 'duos' ex pronomine 'quos' exstitisse omisso numero quattuor censeam. Quorum filiorum nomina sunt Eumenes, Attalus (Polyb. XXIV. 5. 2, XXVII. 18), Philetaerus (Polyb. XXXIX. 7. 2), Athenaeus (Polyb. XXIII. 1. 4, XXXII. 28). Nam sic aetate se excipiebant, ut scriptum videmus apud Liv. XXXXII. 55. 7, Plut. de frat. am. 5, Strab. XIII. 4. 2 p. 624, Aetolorumque in decreto verbis: *βασιλέα Εὐμένη καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ*

1) cfr. Aug. Mommsen in Philol. vol. XXIV (1866) p. 25 sqq.

Ἄτταλον, Φιλέταιρον, Ἀθήναιον (cfr. Haussoullier in Bull. de corresp. hellén. vol. V. (1881) p. 372 et Dittenberger: l. l. no. 215) et in albo, quod eos, qui ludis Panathenaeis vicerunt, continet (apud Rangabisium: Antiquités helléniques no. 962 *B*. v. 29 sqq. et U. Koehlerum in Mitteil. des deutsch. archaeol. Instit. in Athen vol. V. (1880) p. 284 sqq.). Quae exemplis repetitis ex rerum historia, quae illa aetate sunt gestae, comprobare non est difficile. Apud Livium l. l., ut hoc exemplo utar, Eumenes rex cum Attalo et Athenaeo fratribus postquam anno 171 a. Chr. n. ad Chalcidem navibus accessit, ad consulem cum rege est profectus Attalus, qui summa familiaritate cum Romanis coniunctus semper fere regem comitabatur, quia tunc erat proximus successioni, cum Athenaeus, qui minimus erat fratrum natu, ab Eumene praepositus duobus milibus peditum Chalcide relinqueretur. Philetaerus autem, Attali I. filius tertius, Pergami ad tutelam regni remansit, quia secundum Attalum fratrem regis munia ei obeunda erant.

Sed quot annos singuli filii patre mortuo nati fuerint, Polybius verbis *τέτταρας υἱοὺς ἐν ἡλικίᾳ καταλιπών* non exprompsit, id unum declarans Eumenem, Attalum, Philetaerum, Athenaeum maiores fuisse duodeviginti annis i. e., si Athenaeus fuerit adulescens duodeviginti annorum, Eumenem minimum vicesimum alterum annum egisse.

Iam vero Attalus, quem unum et viginti annos regnavisse Strabo XIII. 4. 2 p. 624 est auctor, post patris mortem undesexaginta annos vixit, et cum duos et octoginta annos natus, ut Pseudo-Lucianus Macrob. 12 confidenter asseverat, diem supremum obiret, vicesimum quartum annum agebat, cum Attalus I. pater est mortuus: natus igitur erat anno 220 a. Chr. n. [1]). Fratrem igitur Eumenem II. regem natu maiorem anno 221 a. Chr. n. vel antea in vitam ingressum esse et, cum regnare coepit, non minorem quattuor et viginti annis

1) cfr. Meier: l. l. p. 400, Fraenkel: Altertümer von Pergamon vol. VIII. 1. Die Inschriften von Pergamon I. 1890. p. 88 ad tit. 160.

fuisse necesse est. Philetaerus autem et Athenaeus profecto post annum 220 a. Chr. n. lucem aspexerunt eorumque hic non post annum 215, ille non ante 219 a. Chr. n.

Neque vero Eumenem multo ante annum 221 a. Chr. n. in vitam venisse cogitari potest. Nam Attalus I. rex, cum Attalus filius natus est, iam maior erat quinquaginta annis et, quia Philetaerus et Athenaeus filii paucis annis post Attalum sunt geniti, haud improbabile esse puto Attalum I. regem non multo ante annum 222 a. Chr. n. Apollonidem Cyzicenam in matrimonium duxisse et Eumenem non ita multo ante annum 221 a. Chr. n. esse natum.

Quae primum approbantur iis rebus, quae de Apollonide regina [1]) sunt traditae. Nam erat superstes Attalo marito longum per tempus. Commemoratur, ut hoc proferam, in Aetolorum decreto iam supra laudato una cum Eumene rege eiusque fratribus verbis: *δεδόχθαι τοῖς Αἰτωλοῖς ἐπαινέσαι βασιλέα Εὐμένη καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ Ἄτταλον, Φιλέταιρον, Ἀθήναιον καὶ βασίλισσαν Ἀπολλωνίδα τὰμ ματέρα αὐτῶν* eamque anno 183 a. Chr. n. in vivis fuisse e Polybii verbis XXII. 20. 8 *ταῦτα δ' ἐτελέσθη ἐν Κυζίκῳ μετὰ τὴν διάλυσιν τὴν πρὸς Προυσίαν τὸν βασιλέα* iam facile est ad conicien-dum [2]). Defunctae autem reginae (*θεὰ Ἀπολλωνὶς εὐσεβής*) in titulo apud Dittenbergerum no. 234 (cfr. Hamilton: Researches II. no. 246 et Lebas-Waddington: l. l. no. 88) fit mentio, cum iam Attalus II. regnabat, et ex decreto Hierapolitano laudato a Fraenkelio: l. l. ad tit. 43—45 et publicato in annalibus instit. archaeolog. Berolin. 1889 ind. p. 86 elucet

---

1) cfr. Meier: l. l. p. 369 et Buschmann: l. l. p. 6 adn. 4. Apollonidis caput invenitur in nummis Cyzicenis cfr. Head: A Guide to the Coins of the Ancients p. 89 tab. 48. 6, Gardner: Types of greek coins p. 207 tab. XIII. 32.

2) Haud dubie, quae Polybius hic dicit, sunt tribuenda Apollonidis reginae perorationi et scripta erant in eo libro, in quo Polybius enarravit res gestas eius anni, quo illa mortua est (166—159 a. Chr. n.). Valde igitur dubium esse mihi videtur, num recte sint verba ab Hultschio libro XXII. attributa: malim esse libri XXX. aut XXXI aut XXXII.

illam e vita abiisse, cum Eumenes rex Σωτήρ vocaretur. Quod cognomen cum traxerit ex victoria a Gallograecis reportata, ut monuit Haussoullier (Bullet. de corresp. hellén. vol. V. (1881) p. 386) rectissime, ut mihi quidem videtur, Apollonidem matrem intra annos 166—159 a. Chr. n. mortuam esse cum Fraenkelio statuemus. Cum vero, ut idem Fraenkelius l. l. docuit ad tit. 160 p. 88, post annum 238 a. Chr. n. non sit nata et post annum a. Chr. n. 166 vita decesserit, duos et septuaginta minimum annos implevit: qua re brevi ante 238 a. Chr. n. illam esse natam neque ita multo ante annum 222 a. Chr. n. Attalo nupsisse puto.

Deinde Eumenem regem haud multo ante annum 221 a. Chr. n. in lucem esse editum consequitur, ut opinor, ex iis rebus, quae apud scriptores inveniuntur de Attalo (III.), Eumenis regis filio. Qui anno 152 a. Chr. n. (a. u. c. 602) Romae versans a Polybio XXXIII. 18. 2 ἔτι παῖς ὤν appellatur et, ut ex Strabonis verbis XIII. 4. 2 p. 624 ἐπίτροπον δὲ κατέστησε καὶ τοῦ παιδὸς νέου τελέως ὄντος καὶ τῆς ἀρχῆς τὸν ἀδελφὸν Ἄτταλον est manifestum, patre mortuo idoneus non fuit moderando imperio. Iam eum anno 167 a. Chr. n. (a. u. c. 587) nondum fuisse natum apud Polybium XXX. 2. 5 sqq. scriptum videmus. Sic enim cum Schweighaeusero Polybii verba οὐδέπω γὰρ ἀναδεδειγμένος ἐτύγχανε κατὰ φύσιν υἱὸς ὢν αὐτῷ ὁ μετὰ ταῦτα διαδεξάμενος τὴν ἀρχήν sunt intellegenda, quae Livius XXXXV. 19. 11 perverse in sermonem Latinum convertit[1]) 'necdum enim eum agnoverat, qui postea regnavit', ut evidenter patet e verbis, quae antecedunt et Polybii εἰς δὲ τὸ μέλλον ὁμολογουμένως καταλείπεται διάδοχος τῆς ἀρχῆς, οὐ μακρὰν ταύτης τῆς ἐλπίδος ὑπαρχούσης ἅτε τοῦ βασιλέως διὰ μὲν τὴν σωματικὴν ἀσθένειαν αἰεὶ προσδοκῶντος τὴν ἐκ τοῦ βίου μετάστασιν, διὰ δὲ τὴν ἀπαιδίαν οὐδ' εἰ βουληθείη δυναμένου τὴν ἀρχὴν ἄλλῳ καταλιπεῖν et Livi 'eam infirmitatem aetatemque Eumenis esse nullam stirpem liberum habentis'. Hoc

1) cfr. Weissenborn ad Liv. l. l.

quoque est animadvertendum Attalum, Eumenis filium, si ante annum 167 a. Chr. n. esset in vitam ingressus, anno 152 a. Chr. n. ἔτι παῖδα ὄντα non potuisse vocari a Polybio XXXIII. 18. 2. Itaque certe post annum 167 a. Chr. n. est natus [1]) et Eumenes pater, cum filius gignebatur, maior erat annis quinquaginta quattuor, si retinemus annum 221 a. Chr. n.. Hoc autem anno vel brevi ante esse natum Eumenem eo verisimilius videbitur, si meminerimus Eumenem regem Stratonicen, Ariarathis Cappadociae regis filiam, iam brevi post annum 188 a. Chr. n. in matrimonium duxisse (cfr. Liv. XXXVIII. 39. 6, Diod. XXXI. 28, App. Syr. 5, Meier: l. l. p. 377 sqq.).

Sed occasione oblata pauca hoc loco addamus de Eumenis regis fratribus. Ut iam supra diximus, Attalus, qui anno 159 a. Chr. n. Eumeni fratri successit, annos duos et octoginta natus diem supremum obiit, quorum duodequadraginta fratre rege egit et viginti unum regnavit. Ad quem Eumenis res gestas tractantibus saepissime nobis erit redeundum, quod iam Eumene regnante in omni actione atque administratione rei publicae floruit.

Multo brevius tempus Philetaerus vixit: extrema enim quae prodita sunt, ad annum 171 a. Chr. n. sunt referenda, quo, ut Livius XXXXII. 55. 7 dicit, ad tutelam regni ab Eumene Pergami relictus est, cum Attalus et Athenaeus fratres cum rege ad Chalcidem proficiscerentur. Ex quo illius mentio iam non fit, unde magna cum probabilitate efficitur, ut haud ita multo post annum 171 a. Chr. n. de vita cesserit, praesertim cum ex eo tempore Athenaeus frater minor natu usque ad mortem partes eius subierit. Memoratu autem est dignum Philetaerum uti patrem cum Atheniensibus artissimo amicitiae vinculo coniunctum fuisse et civitate Attica esse donatum, ut e titulo apud Dittenbergerum ('Inschriften aus Olympia' in ephem. archaeolog. vol. XXXVI. (1878) p. 174 sqq. no. 194,

1) cfr. Th. Mommsen: 'Attalideninschriften vom Thrakischen Chersones' in Hermae vol. IX. (1875), qui ad p. 118 adnotavit esse verisimillimum illum, cum patre mortuo νέος τελέως esset (cfr. Strab. l. l.), post annum a. u. c. 582 natum esse.

Syll. no. 221) cognoscimus. Plebiscitum autem, quo Philetaerus civitatem dono accepit, est conservatum (cfr. C. I. A. tom. II. no. 435) neque vero Koehlero assentior, qui non satis persuasum sibi esse profitetur decretum in Philetaeri honorem Eumene rege etiamtum superstite factum esse. At Philetaerum non superfuisse Eumeni regi, sed brevi post annum 171 a. Chr. n. e vita decessisse probavimus neque dubito, quin ille Eumene vivo in numerum civium Atheniensium sit ascitus, cum anno 181 a. Chr. n. Romam cum Attalo et Athenaeo fratribus profectus Athenis versatus esse videatur (cfr. Polyb. XXIV. 5, Diod. XXIX. 22).

Frater minimus natu Athenaeus etiam sub Attalo II. rege vixit, nam anno 153 a. Chr. n. (cfr. Polyb. XXXIII. 13, Meier: l. l. p. 405) cum octoginta navibus tectis in bello, quod Attalus II. rex cum Prusia, Bithyniae rege, gessit, in Hellesponto oppida depopulatus est, quae erant in Prusiae dicione. Brevi autem post, quantum coniectari licet, est mortuus certe Attalo II. rege, post quem illum non vixisse omnes inter se consentiunt.

III.

QUOD REGNUM EUMENI REGI A PATRE RELICTUM SIT.

Polybius XXXII. 22. 3 verbis *παραλαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν βασιλείαν συνεσταλμένην τελέως εἰς ὀλίγα καὶ λιτὰ πολισμάτια* [1]) universe tantum significavit, quantum Pergamenorum regnum fuerit, cum Eumenes regnare coeperit. Sed regnum in pauca parvaque oppida conclusum, quod Eumenes a patre accepit, Polybius confert cum permagno, quod ipsa virtute et opera Eumenis regis — atque his verbis usus illum eximiis laudibus exornavit Polybius — amplificatum erat; et haec quidem regna inter se comparans optimo iure dicit: *ὅς γε πρῶτον μὲν παραλαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν βασιλείαν συνεσταλμένην τελέως εἰς ὀλίγα καὶ λιτὰ πολισμάτια, ταῖς μεγίσταις τῶν καθ' αὑτὸν δυναστειῶν ἐφάμιλλον ἐποίησε τὴν ἰδίαν ἀρχήν κτλ.* Eodemque modo Polybius potuit de Eumenis regno dicentem facere Philippum, Macedoniae regem, ad Demetrium et Perseum filios inter se discordantes XXIII. 11. 7 *ὅτι παραλαβόντες οὗτοι* (sc. *Εὐμένης καὶ Ἄτταλος*) *μικρὰν ἀρχὴν καὶ τὴν τυχοῦσαν ηὐξήκασι ταύτην ὥστε μηδεμιᾶς εἶναι καταδεεστέραν, δι' οὐδὲν ἕτερον ἢ διὰ τὴν πρὸς αὑτοὺς ὁμόνοιαν καὶ συμφωνίαν καὶ τὸ δύνασθαι καταξίωσιν ἀλλήλοις διαφυλάττειν* (cfr. Liv. XXXX. 8. 14 'iam hos Eumenem Attalumque fratres, a tam exiguis rebus, prope ut puderet regii nominis, mihi, Antiocho, cuilibet regnum huius aetatis nulla re magis quam fraterna unanimitate regnum aequasse').

1) cfr. Suid. s. v. *Εὐμένης*.

Attamen re vera regnum tam exiguum non fuisse vel e Strabonis verbis XIII. 4. 2 p. 624 cognoscimus *πρότερον δ' ἦν τὰ περὶ Πέργαμον οὐ πολλὰ χωρία μέχρι τῆς θαλάττης τῆς κατὰ τὸν Ἐλαΐτην κόλπον καὶ τὸν Ἀδραμυττηνόν*, quibus ille regni Pergameni fines, quales fuerunt ineunte altero saeculo a. Chr. n. accuratius, ut videtur, memoriae tradidit. Itaque Strabonem si auctorem sequimur, regnum continebatur a meridie maris sinu Elaitico, ab occidente mari Aegaeo, a septemtrionibus maris sinu Adramytteno. Fines ad orientem spectantes Strabo non adumbrat, nisi forte putamus verbis *τὰ περὶ Πέργαμον* illos comprehendi et Strabonem non procul ab urbe Pergamo fuisse fines ad orientem vergentes esse opinatum. Et fines regni Pergameni ad meridiem spectantes rettulisse Strabonem, sicuti illo tempore fuerint, titulus nunc est manifesto documento, qui in lucem est editus a Dém. Baltazzio (Bullet. de corresp. hellén. vol. V (1881) p. 283 sqq.). Sunt insculpta verba ΟΡΟΙ ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ saxo, ad quod in paeninsula procurrente in mare situm pervenies egressus a promunturio Hydro duo chiliometra versus hibernum ortum. Litterarum autem forma, ut docuit Dém. Baltazzi, tertii saeculi esse titulum arguitur atque etiam hoc est animadvertendum exeunte demum saeculo tertio lapidi litteras esse incisas, quia nullo alio tempore illic regni fines extremi fuerunt. Nam ante Attalum regem erat ager Pergamenus angustus et ex locis urbi Pergamo vicinis constabat. Attalus autem, etsi Gallograecis devictis aliquamdiu omnia fere oppida cis Taurum montem imperio suo subiecerat (cfr. Polyb. IV. 48. 7 sqq., XXI. 20. 8, Liv. XXXVII. 53. 13), tamen brevi post, quidquid armis erat partum, ab Achaeo, Andromachi filio, et Antiocho, Syriae rege, privatus esset, nisi nonnullas civitates — sed huc infra revertitur oratio — ab hostibus recuperavisset. Tale regnum longum per tempus mansit, donec ab Eumene rege post bellum Antiochinum anno 188 a. Chr. n. fines usque ad Taurum montem sunt prolati. Itaque lapide illo designati sunt fines ad meridiem spectantes, quales extrema Attali regis aetate erant, eoque termini, quos Strabo

l. l. affert, definiuntur. Nam facile hinc perspicitur, Elaeam, Grynium, Myrinam oppida, quae a Caico flumine ad meridiem vergebant, Attali regis imperio subiecta fuisse.

Attamen Strabo l. l. continui regni illius temporis summas tantummodo res attigit, cum praeterea Graecorum nonnullae civitates Attalo I. regi paruerint. Ex Eumenis enim apud Polyb. XXI. 19. 9 verbis *τὸ γὰρ τῆς ἐλευθερίας ὄνομα καὶ τῆς αὐτονομίας ἡμῖν μὲν ἀποστάσει πάντας οὐ μόνον τοὺς νῦν ἐλευθεροῦθησομένους ἀλλὰ καὶ τοὺς πρότερον ἡμῖν ὑποτατταμένους κτλ.* et c. 20. 8 *Ἀντιόχου γὰρ σπουδάζοντος ἡμῖν θυγατέρα δοῦναι καὶ συνοικειωθῆναι τοῖς ὅλοις. διδόντος δὲ παραχρῆμα μὲν τὰς πρότερον ἀπηλλοτριωμένους ἀφ' ἡμῶν πόλεις κτλ.* (apud Liv. XXXVII. 53. 3 'quo impetrato, cui dubium est, quin et a nobis aversuri sint non eas modo civitates, quae liberabuntur, sed etiam veteres stipendiarias nostras' e. q. s. et § 13 'rex Asiae et partis Europae Antiochus filiam suam in matrimonium mihi dabat; restituebat extemplo civitates, quae defecerant a nobis') apparet oppida Graeca in Attali regis potestate fuisse. Et alter quidem Polybii locus (XXI. 20. 8 et Livi XXXVII. 53. 13) cum ad civitates Graecas sit referendus, quas Attalus cis Taurum montem imperio suo subiecerat pauloque post amiserat, respici non potest, sed alterius loci (Polybii XXI. 19. 9 et Livi XXXVII. 53. 3) ratio habenda est ac similiter eorum, quae Polybius V. 77 sqq. tradidit. Buschmann: l. l. p. 7 sq. hac narratione Polybiana abuti est conatus ad fines Attali regni describendos, sed videtur in certa sententia non potuisse consistere ratus non omnia illa oppida, ad quae paulo infra redibimus, semper in fide Attali mansisse, sed et illae et aliae Attali civitates stipendiariae sive ab hoc sive ab Eumene defecisse. Res autem sic se habet: Achaeus, qui cis Taurum regnum sibi constituerat (cfr. Meier: l. l. p. 359 sqq.), cum Selgis bellum intulisset, Attalus rex tentavit, ut adiuvantibus copiis Aegosagum Gallograecorum oppida, quae defecerant, imperio suo reconciliaret. Quorum compluria non invita in partes eius transierunt, cum antea metu commota ad Achaeum desci-

vissent; paucis tantum vis erat afferenda. Et primi ad Attalum se contulerunt Cymaei, Smyrnaei, Phocaeenses, quos secuti sunt Aegaeenses et Temnitae adventu regis necopinato perterriti, atque etiam Teiorum Colophoniorumque advenerunt, qui oppida suaque Attalo traderent. Quos omnes Attalus ex foedere antea cum iis inito (c. 77. 6: *προσδεξάμενος δὲ καὶ τούτους ἐπὶ ταῖς συνθήκαις αἷς καὶ τὸ πρότερον*) acceptis obsidibus recepit et comiter Smyrnaeorum legatos, quod erga se fidem servavissent, excepit. Quo facto longius progressus Lycum flumen traiecit. Hic autem Lycus, ut adnotavit ad Polyb. V. 77 Schweighaeuser, non is est, qui per Cariam et Phrygiam fluebat et ad Laodiceam in Maeandrum deferebatur, sed Lycus ad Thyatiram inter Pergamum et Sardis oppida, quem Plinius solus in nat. hist. V. 29 his verbis commemorat: intus et Thyatira adluitur Lyco e. q. s. Hinc Attalus in Mysorum agros atque inde, ut ait Polybius l. l., *'πρὸς Καρσέας'* processit. Sed quo loco *Καρσεῖς* habitaverint, coniectura tantum assequi possumus. Demetrius apud Strabonem XIII. 1. 44. p. 603 regionis *Καρησηνῆς* mentionem facit, quae ab urbe *'Κάρησος'* et fluvio cognomini[1]), qui in Troade ferebatur, denominata inter Dardaniam et Idaeum montem iacebat[2]). Qua in regione situm oppidum Caresos et Didyma in Attali regis venerunt dicionem. Didyma[3]) oppidum, etsi ignoramus, quo loco positum fuerit, tamen proxime afuisse ab oppido Careso mihi est persuasissimum, cum et Caresos et Didyma ab eodem Themistocle, quem Achaeus illis locis praepositum reliquerat, subito adventu regis permoto dederentur. Quo facto Apiae

---

1) cfr. Strab. l. l. *τὴν δὲ πόλιν κατεσπάσθαι την ὁμώνυμον τῷ ποταμῷ.*

2) Dardaniae finitima erat et usque ad Zeleae et Pityeae agros patebat, quorum oppidorum huius situm nescimus, illud Idae monti erat subiectum (cfr. Strab. XIII. 1. 10. p. 587).

3) Schweighaeuser ad Polyb. l. l. *Δίνδυμα* commendavit, sed nescio quid faciam hoc nomine; eius enim nominis tantum montes in illa regione cognovimus; cfr. Steph. Byz. s. v. *Δίνδυμα: ὄρη τῆς Τροάδος, ἀφ' ὧν Δινδυμήνη ἡ 'Ρέα.*

planitiem Attalus depopulatus est. A duobus igitur illis oppidis cum militibus ad orientem versus in Apiae planitiem progressus, quam a Temno monte in septemtriones spectare Strabo XIII. 1. 70. p. 616 ostendit, castra monte Pelecante in Mysia sito superato collocavit ad Megistum fluvium, qui in Rhyndacum flumen influit (cfr. schol. ad Apollonii Rhodii Argonautica I. 1165). Quia autem illo loco Gallograeci tumultuabantur, metuens, ne cum Achaeo se coniungerent neve contra se arma ferrent, ad Hellespontum eos reduxit iisque domicilia ibi dedit; atque postquam Lampsaci, Alexandriae Troadis, Ilii legatos benevole excepit, quia in eo, quod convenerat, mansissent, Pergamum cum exercitu rediit.

Quod in bellum, ut iam supra est dictum, Attalus profectus est, ut civitates, quibus ab Achaeo privatus erat, recuperaret eo potissimum consilio, ut regnum imminutum imprimis ad meridianam caeli partem, solis sub ortum, ad septemtrionesque ab hostium impetu tutum redderet et cum oppidis Graecis iterum amicitiam societatemque iniret. In hac expeditione, quam cum Meiero p. 360 sqq. Ol. 140, 2, anno 219 a. Chr. n. factam esse consentio, nonnulla indicia insunt, quibus Attali regnum saeculi alterius initio maius fuisse elucet, quam Strabo l. l. attulit. Sed priusquam exsequar, quae oppidorum illorum post Attali mortem Eumeni regi fuerint subiecta, breviter refutem, quae Flathe: l. l. p. 338 his verbis contendit 'aber sein (Attalus I.) Besitz schwankte unaufhörlich hin und her: heute ward gewonnen, morgen verloren und des folgenden Tages wieder gewonnen.' Quibus virum doctum res gestas iusto minus respexisse est in aperto, etsi illi concedo Attalum aliquo tempore Asiam cis Taurum obtinuisse et brevi post, quidquid expugnaverat, amisisse et anno 219 a. Chr. n. nonnulla oppida recepisse. Sed regiones illo bello subiectas quin omnes ferme ad exitum vitae Attalus conservaverit, iure dubitari nequit, etsi Philippus rex exiguum per tempus nonnulla oppida in bello Macedonico annis 202/201 a. Chr. n. ceperat et paulo post in Macedoniam reversus Attalo iterum concesserat.

Sed redeamus ad regis expeditionem et perpendamus primum, quae inter Attalum regem oppidaque Lampsacum, Alexandriam Troadem, Ilium convenerint. Declarant Polybii verba V. 78. 6: *Ἄτταλος μὲν οὖν ἀποκαταστήσας τοὺς Αἰγοσάγας εἰς τὸν Ἑλλήσποντον, καὶ χρηματίσας φιλανθρώπως Λαμψακηνοῖς Ἀλεξανδρεῦσιν Ἰλιεῦσι διὰ τὸ τετηρηκέναι τούτους τὴν πρὸς αὐτὸν πίστιν, ἀνεχώρησε μετὰ τῆς δυνάμεως εἰς Πέργαμον* res quasdam constitutas esse, sed ex illis non elicitur, ut Buschmann aliique contenderunt, oppida illa sui iuris fuisse et tributum annuum Attalo contulisse. Neque enim inde, quod Lampsaceni, Alexandrini, Ilienses in fide Attali permanserunt, ilico sequitur eos regi fuisse subiectos, etsi eos tributa facientes '*αὐτονόμους*' vocari potuisse concedo (cfr. Fraenkel: l. l. p. X.). Immo vero si spectaverimus Attalum '*φιλανθρώπως*, ut ait Polybius, *χρηματίσαντα Λαμψακηνοῖς Ἀλεξανδρεῦσιν Ἰλιεῦσιν*' in illa oppida ivisse eo consilio, ut civibus gratias ageret, quod fidem servavissent, tres illas civitates cum Attalo I. foedere coniunctas fuisse putabimus. Res quin ita se habeant, non sinunt dubitare, quae tradita sunt ab antiquis. Iliensibus [1]), cum anno a. Chr. n. 216 a Gallograecis opprimerentur, non Attalus rex auxilio venit, quem urbi, si in eius imperium cessisset, auxilium extemplo laturum fuisse nemo erit, quin infitietur, sed Alexandrini atque eos periculo liberaverunt (cfr. Polyb. V. 111). Anno autem 205 a. Chr. n. post bellum Macedonicum, quod Romani, Attalus aliique cum Philippo, Macedoniae rege, gesserunt, a Romanis foederi sunt adscripti (cfr. Liv. XXIX. 12. 14: in eas condiciones cum pax conveniret, ab rege foederi adscripti Prusia, Bithyniae rex, Achaei Boeotii Thessali Acarnanes Epirotae, ab Romanis Ilienses, Attalus rex, Pleuratus, Nabis Lacedaemoniorum tyrannus, Elei, Messenii, Athenienses). Ex quo consequitur eos tum quidem socios et regis Attali et populi Romani fuisse

1) cfr. Haubold: De rebus Iliensium Lips. 1888, quocum non semper consentiam.

neque illi paruisse. Neque obest, quod liberos et immunes Ilienses fuisse bello Antiochino confecto scimus. In pacis condicionibus anni 188 a. Chr. n., quae satis luculenter a Polybio XXI. 45 sqq. exponuntur, ad Ilium urbem, quamquam non nominatur, optimo iure referre licet verba (48. 2): *ὅσαι μὲν τῶν αὐτονόμων πόλεων πρότερον ὑπετέλουν Ἀντιόχῳ φόρον, τότε δὲ διεφύλαξαν τὴν πρὸς Ῥωμαίους πίστιν, ταύτας μὲν ἀπέλυσαν τῶν φόρων* (cfr. Liv. XXXVIII. 39. 7: quae stipendiariae regi Antiocho fuerant et cum populo Romano senserant, iis immunitatem dederunt). Itaque quod anno 196 a. Chr. n. ab Antiocho rege, cum per Asiam in Thraciam proficisceretur, oppugnatum annis, qui sequebantur, Syriae regi tributa contulit (cfr. Liv. XXXV. 43. 3.) et quod Antiocho regi fuerat stipendiarium Romanoque cum populo senserat (cfr. Liv. XXXVII. 37), anno 188 a. Chr. n. libertatem immunitatemque denuo accepit. Ilienses enim, si ante bellum Syrium Attalo et Eumeni stipendia pependissent, post initam pacem non immunes essent facti. Decreverat enim senatus, ut Asiae civitates, quae Attali stipendiariae fuissent, Eumeni regi vectigal penderent, et quae Antiochi vectigales fuissent, immunes essent atque liberae (cfr. Polyb. XXI. 24. 8, Liv. XXXVII. 55. 6), ac Cn. Manlius decemque legati constituerant, ut quae stipendiariae regi Antiocho fuissent populoque cum Romano sensissent, immunitatem acciperent et quae partium Antiochi aut stipendiariae Attali fuissent, eae omnes vectigalia Eumeni regi penderent (cfr. Polyb. XXI. 48. 2, Liv. XXXVIII. 39. 7 sqq.). Tributa igitur Ilienses neque Attalo neque Eumeni ante bellum Antiochinum pependerunt, sed erant liberi immunesque, priusquam in Antiochi regis dicionem venerunt.

Sed restat, ut exponatur, quid de Livio censeamus, qui l. XXXVIII. 39. 8 sqq. haec ad Ilium spectantia in pacis leges recepit: nominatim praeterea Colophoniis, qui in Notio habitant, et Cymaeis et Mylasenis immunitatem concesserunt; Clazomeniis super immunitatem et Drymussam insulam dono dederunt, et

Milesiis quem sacrum appellant agrum restituerunt, et Iliensibus Rhoeteum et Gergithum addiderunt, non tam ob recentia ulla merita quam originum memoria. Quae verba inde ab 'et Iliensibus' apud Polybium XXI. 48. 4 sqq. non iam exstant. Itaque cum Livius l. l. ad verbum omnia ex Polybio transtulerit, hic huius in contextu lacunam hiare viri docti sunt arbitrati, quae ex Livi verbis l. l. § 10 explenda sit[1]).

Attamen Polybii verba utique integra esse puto, cum ea, quae sunt apud Livium, a Polybio scribi omnino non potuisse mihi persuaserim. Iam Th. Mommsen: Römische Forschungen II. p. 538 ob eandem causam Livium ex annalium quodam scriptore, qui ex bono auctore haec comperisset aut confinxisset, verba illa adiecisse credidit. De fonte in Mommseni partem abeo, et annalium illum scriptorem pro nihilo esse aestimandum contendo. Verba enim ipsa 'non tam ob recentia ulla merita quam originum memoria' indicare mihi videntur se inserta esse pacis condicionibus neque scripta fuisse in foederis tabulis, quia sunt plane supervacanea ipsaque afferunt, qua de causa pacis legibus sunt addita. Iam ante Livium et imprimis Livi aetate Romani Iliacae memoriam originis necessitudinisque cum Iliensibus (cfr. Liv. XXXVII. 37. 3, Suet. Claud. 25) redintegrare studebant et tum praeclara offerebatur occasio expressis verbis hanc necessitudinem propiorem fidei reddendi, praesertim cum ex ea in illas pacis condiciones recepta fieret res facta neque ab ullo in dubium vocari posset[2]).

Re vera autem iam initio saeculi alterius a. Chr. n. Ilium erat liberum immuneque ac per breve tantum tempus,

---

1) cfr. Reiske: Animadversionum ad Graecos auctores vol. IV. Lips. 1763 p. 665; Hultsch ad Polyb. l. l.; Weissenborn ad Liv. l. l.; Nissen l. l. p. 16 ab epitomatore quodam Polybii verba contracta esse opinatus est.

2) Sic apud rerum scriptores posterioris aetatis velut apud Tacitum annal. XII. 58 invenitur a Romanis Ilienses libertatem nactos esse.

nimirum inde ab anno 196 usque ad 190 a. Chr. n. Antiochi iuris habebatur. Anno autem 188 a. Chr. n. pace coniuncta Ilienses aeque ac reliqua oppida Graeca, quae sub Antiochi dicionem pervenerant et in bello cum Romanis fecerant, libertatem immunitatemque, quas antea habuerant, acceperunt, etsi hoc non expressis verbis pacis legibus additum est; Livi autem verba: 'et Iliensibus Rhoeteum et Gergithum addiderunt' ex annalium scriptore quodam deprompta, quia a Polybio silentio praetermittuntur, suspicione non carent. Omnino Ilienses oppidis Rhoeteo et Gergitho illo tempore non esse donatos a Romanis mihi persuasum est.

Oppida Alexandriam Troadem et Lampsacum, quae una cum Ilio a Polybio l. l. commemorantur, ab Antiocho anno 196 a. Chr. n. impugnata pariter atque Smyrnam longum per tempus detinuisse regem, qui Asiae civitatibus Ptolemaei sociis potiturus esset, tandem ab Antiocho esse expugnata Polybius XXI. 13 et 14 (cfr. Liv. XXXV. 42, XXXVII. 35, XXXVII. 54, Diod. XXIX. 7) est testis. Sed Eumenem Alexandrinis et Lampsacenis auxilio venisse, ut illorum oppida obsidione eximeret, aut Romae questum esse, quod Antiochus rex oppidis suo imperio subiectis bellum intulisset non comperimus. Verum inde, quod omnium civitatum Asiae Smyrnaei, Lampsaceni, Alexandrini ad Romanorum senatum primi miserunt legatos, qui libertatem reposcerent, patet illa oppida libera immuniaque fuisse, non Eumenis stipendiaria, antequam ab Antiocho oppugnarentur. Lampsacenos autem similiter ac Smyrnaeos ante annum 196 a. Chr. n. libertatem usurpavisse, h. e. recusavisse stipendia, quae antea Aegyptiorum regibus pependerant, Livius XXXIII. 38. 3 tradidit. Huc accedit, quod Romani bellum cum Antiocho rege inierunt, non quod civitatibus stipendiariis Pergamenorum regi, qui erat Romanorum socius, bellum intulisset, sed quia Graecorum oppidis libertatem eripuerat, quam servari volebant et Graeciae oppidis et Graecorum in Asia civitatibus (cfr. Polyb. XXI. 13. 3: *προχειρισάμενος οὖν Ἡρακλείδην τὸν Βυζάντιον ἐξέπεμψε, δοὺς ἐντολὰς ὅτι παραχωρεῖ τῆς τε τῶν Λαμψακηνῶν καὶ*

Σμυρναίων, ἔτι δὲ τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεως, ἐξ ὧν ὁ πόλεμος ἔλαβε τὰς ἀρχάς). Itaque neque Ilienses neque Lampsaceni neque Alexandrini regi Pergameno tributa contulerunt.

Quorum oppida ut socia Attalo et Eumeni fuerunt, sic etiam Smyrnaeorum. Hos autem ante annum 196 a. Chr. n. liberos factos esse Livius XXXIII. 38 testatur; antea regibus Aegyptiis vectigales fuerant. Itaque si anno 219 a. Chr. n. aeque ac Lampsaceni, Alexandrini, Ilienses cum Attalo coniuncti sunt, societatem tantum cum rege inierant, quod etiam verbis Polybianis inesse mihi videtur V. 77. 6: *ἐχρημάτισε τοῖς παρὰ τῶν Σμυρναίων πρεσβευταῖς φιλανθρώπως διὰ τὸ μάλιστα τούτους τετηρηκέναι τὴν πρὸς αὐτὸν πίστιν.* Sic etiam liberi immunesque una cum Lampsacenis anno 196 a. Chr. n. T. Quinctium Flamininum, qui tunc versabatur in Graecia, adierunt, ut Romanorum auxilium adversus Antiochum implorarent (cfr. App. Syr. 2 et 6, Polyb. XVIII. 52). Quorum de legatis anno 189 a. Chr. n. in senatum introductis Polybius XXI. 22. 3 sqq. hunc in modum verba facit: *οὗτοι δὲ πολλοὺς μὲν ἀπολογισμοὺς εἰσήνεγκαν περὶ τῆς αὐτῶν εὐνοίας καὶ προθυμίας, ἣν παρέσχηνται Ῥωμαίοις κατὰ τὸν ἐνεστῶτα πόλεμον· οὔσης δὲ τῆς περὶ αὐτῶν δόξης ὁμολογουμένης, διότι γεγόνασι πάντων ἐκτενέστατοι τῶν ἐπὶ τῆς Ἀσίας αὐτονομουμένων, οὐκ ἀναγκαῖον ἡγούμεθ' εἶναι τοὺς κατὰ μέρος ἐκτίθεσθαι λόγους* (cfr. Liv. XXXVII. 54. 2), unde per se perspicuum est Smyrnaeos liberos et immunes initio saeculi alterius a. Chr. n. fuisse sociosque Romanorum bello Antiochino interfuisse (cfr. Liv. XXXVII. 16). Quapropter pacis leges non exhibent Smyrnaeis vectigalia, quae Eumeni regi essent solvenda, remissa esse eosque libertate immunitateque donatos. Sed cum immunes iam antea fuissent, Romani eis libertatem pacis condicionibus dare non potuerunt atque modo laudaverunt eos pro singulari fide et agro donaverunt item ac Chios et Erythraeos, cfr. Polyb. XXI. 48. 6. *Χίους δὲ καὶ Σμυρναίους, ἔτι δ' Ἐρυθραίους ἔν τε τοῖς ἄλλοις προῆγον, καὶ χώραν προσένειμαν ἧς ἕκαστοι κατὰ τὸ παρὸν ἐπεθύμουν καὶ σφίσι καθήκειν ὑπελάμβανον, ἐντρεπόμενοι τὴν εὔνοιαν*

καὶ σπουδὴν, ἣν παρέσχηντο κατὰ τὸν πόλεμον αὐτοῖς (cfr. Liv. XXXVIII. 39. 11).

De ceteris oppidis Cyme, Phocaea, Aegis, Temno, Teo, Colophone perrara ad nos pervenit memoria. Cymaei post Rhodiorum cladem Samiam propinquitate hostium permoti, qui haud procul a Phocaea oppido castra posuerunt, ad Seleucum, Antiochi filium, defecerunt (cfr. Liv. XXXVII. 11. 15, App. Syr. 25) et pace facta his ipsis verbis '*Κολοφωνίους δὲ τοὺς τὸ Νότιον οἰκοῦντας καὶ Κυμαίους καὶ Μυλασεῖς ἀφορολογήτους ἀφῆκαν* (Polyb. XXI. 48. 4, cfr. Liv. XXXVIII. 39. 8) immunes redditi sunt neque est dubium, quin inde ab anno 219 a. Chr. n. stipendiarii fuerint Attalo regi, fortasse etiam iam antea (cfr. Polyb. V. 77. 4). Item Colophonii et Clazomenii ex illo tempore Attalo stipendia pependisse videntur, nam ipsi quoque immunitatem anno 188 a. Chr. n. dono acceperunt, Clazomeniique praeterea Drymussam insulam. Quorum trium oppidorum incolae quin in bello non ignavos se praestiterint — Colophonii Antiocho tam fortiter restiterunt, ut rex post proelium ad Myonnesum commissum ab urbis obsidione recederet (cfr. Liv. XXXVII. 31. 3) — eamque ob causam immunitate sint donati a Romanis non dubito. Contra Phocaeensibus immunitatem concessam esse non contendam. Qui bello Syrico ad Seleucum desciverunt (cfr. Polyb. XXI. 6, Liv. XXXVII. 9 et 11. 15, App. Syr. 25) neque multo post iterum ad Aemilium Regillum, navium Romanorum praefectum, cuius milites urbem diripuerunt (cfr. Liv. XXXVII. 32. 10). Livi autem ex verbis 'indignum facinus esse Phocaeensis numquam fidos socios, semper infestos hostis, impune eludere' enucleatur bello cum Antiocho gesto illos cum Romanis non consensisse. Iam ineunte bello in Antiochi regis partes transgressi inveniuntur (cfr. App. Syr. 21) semperque eos cum Syris fecisse puto. Timore autem perculsi anno 191 a. Chr. n. post C. Livi Eumenisque adventum ad Romanos transierunt (cfr. App. Syr. 22, Liv. XXXVI. 43) atque post alteram ad Antiochum defectionem (Polyb. XXI. 6, Liv. XXXVII. 9 et 11. 15, App. Syr. 25) Romanis portas tum demum aperu-

erunt, cum in urbem iam impetu facto nulla spes auxilii ab Antiocho erat. Itaque pace composita acceperunt *τὸ πάτριον*, ut Polybii verbis XXI. 48. 7 utar, *πολίτευμα* (h. e. *αὐτονομίαν*) *καὶ τὴν χώραν, ἣν καὶ πρότερον εἶχον* (cfr. Liv. XXXVIII. 39. 12: Phocaeensibus et ager, quem ante bellum habuerant, redditus, et ut legibus antiquis uterentur permissum), non immunitatem [1]). Stipendiarii igitur Eumenis regis manserunt iique ut patri Attalo solverunt tributa.

Reliquis quoque civitatibus a Polybio V. 77 prolatis stipendia ab Attalo sunt imposita atque sic etiam Temnitis, qui iam antea cum Pergamenorum dynastis foedere erant coniuncti. Nam, ut Fraenkel: l. l. p. 4 ad tit. 5 ex litterarum figuris coniecit, foederis tabulae Pergami inventae ei aetati attribuendae sunt, qua Lysimachus et Philetaerus Pergami urbis imperium obtinebant. Edicti autem, quod Eumenes Temnitis dicioni suae subiectis edidit, nuperrime reperti reliquias Fraenkel p. 4 sqq. foras dedit.

Mysiae autem oppida collaudata a Polybio aliaque in Attali dicione ac potestate fuisse facile intelligitur e Livi verbis XXXVIII. 39. 15: Mysiam, quam Prusia rex ademerat — Attalo regi anno 207 a. Chr. n. suspicor, ut memoriae prodidit Livius XXVIII. 7. 10 — ei (sc. Eumeni) restituerunt [2]). Itaque cum Eumenes regnare coepit, Prusias iam nonnulla ex Mysiae oppidis occupaverat, quae quidem neque a Polybio neque a Livio nominantur.

Deinde sub Attali regis imperio fuisse oppidum *Ἕλλα* planis verbis testatur Polybius apud Stephanum Byzantium

---

1) cfr. Liv. XXXVII. 32. 14: 'et suas leges iis restituit'; suis legibus esse non idem est atque immunes esse cfr. Liv. XXXIII. 32. 5.

2) Ad Liviana illa possunt corrigi, quae apud Polybium XXI. 48. 10 libri exhibent: *Μυσούς, οὓς πρότερον αὐτὸς παρεσκεύασατο.* cfr. Drakenborch ad Liv. l. l., Tillmans: Disputationis qua ratione Livius Polybi historiis usus sit part. I. diss. Bonn. 1860 p. 60; Nissen l. l. p. 202. E. Schulze: 'Zu Diodorus' Mus. Rhen. vol. XXIII. (1868) p. 78 sq. proposuit scribendum '*Μυσούς, οὓς Προυσίας πρότερον αὐτοῦ παρεσπάσατο*', quae verba optime ad Liviana quadrant.

s. v. Ἕλλα: *Ἕλλα, χωρίον Ἀσίας, Ἀττάλου βασιλέως ἐμπόριον· Πολύβιος ις΄· τὸ ἐθνικὸν Ἑλλαῖος.* Quod Attali emporium ubi situm fuerit, nescimus, sed quia commemoratur a Polybio in libro XVI., in quo exposuit inter res annis 201 et 200 a. Chr. n. gestas bellum a Philippo, Macedonum rege, Attalo et Rhodiis illatum non habebis me adversantem, si putaveris in Cariae litore illud emporium fortasse positum fuisse aut non longe remotum (cfr. Polyb. XVI. 1 sqq. et XVIII. 2 sqq., Liv. XXXI. 14 et 46, XXXII. 33, XXXIII. 18 sqq., Diod. XXXVIII. 5., App. Maced. 4., Strab. XIII. 4. 2. p. 624).

Potes igitur iam perspicere Pergamenorum fines, cum Eumenes patri successit, latius propagatos fuisse, quam Strabo l. l. affirmat. Ac ne de Aegina quidem insula Strabo quidquam memoriae tradidit, quamquam patre mortuo Eumenem anno 197 a. Chr. n. illam accepisse inter omnes constat. Nam, ut legimus apud Polybium XXII. 11. 10, Aetoli Aeginam, quae eis dono data erat a Romanis bello Macedonico primo, Attalo regi anno 210 a. Chr. n., ut videtur, triginta talentis vendiderant. An tu fide digna statuis Valeri Antiatis verba apud Livium XXXIII. 30. 10 sq.: Attalo absenti Aeginam insulam elephantosque dono datos, et Rhodiis Stratoniceam Cariaeque alias urbes, quas Philippus tenuisset; Atheniensibus insulas datas Lemnum, Imbrum, Delum, Scyrum? Livius autem, postquam Polybium (cfr. XVIII. 44) secutus (cfr. Nissen: l. l. p. 145 sqq.) pacis leges protulit, illa verba propterea, quod a Polybianis abhorreant, adscribit eundem in modum, quo semper Valeri Antiatis et Claudi Quadrigari narrationes Polybii verbis addit. Sed quod post Polybium demum ad Valerium Antiatem et Claudium Quadrigarium recurrit, ipse quodam modo innuit se his minorem tribuere fidem quam illi, cui paulo ante c. 10. 10 laudem eximiam impertivit his verbis 'nos non minimo potissimum numero credidimus, sed Polybium secuti sumus, non incertum auctorem cum omnium Romanarum rerum tum praecipue in Graecia gestarum.'

Nos quoque annalium scriptorum auctoritati, ut in Livi

illorum temporum libris invenitur, a primo diffidere solemus ac iustis de causis nos hoc facere illis Valerianis ad Aeginam insulam spectantibus evincitur. Magno enim errore tenetur Valerius, cum dicit Attalo absenti Aeginam insulam dono datam esse. Nam Attalus rex [1]), ut supra explanavimus, altera parte anni 197 a. Chr. n. mortem obierat et Eumenes, qui illo tempore a patre regnum acceperat, Pergami regnabat, cum inter T. Quinctium Flamininum decemque legatos in Graecia de pacis condicionibus colloquia erant et pax anno 196 a. Chr. n. conciliata est. Huc accedit, quod falsissima sunt verba dono datam esse Aeginam Pergamenorum regi: etenim insula iam multo ante a rege Attalo empta in dicione Pergamena retinebatur, donec anno 133 a. Chr. n. Romanis regnum Pergamenorum hereditate obtigit [2]).

Ihne: Hist. Rom. Lips. 1868—90 vol. III. p. 55 adn. 1. vult Eumeni regi insulae possessionem tum a Romanis esse sancitam [3]), sed hunc in modum Valeri Antiatis verba posse intellegi nunquam concedam, cum talia pro illa Graecorum libertate pronuntiata ne cogitari quidem possint neque causa sit perspicua, cur post bellum Macedonicum secundum opus fuerit Aeginae insulae possessionem confirmari.

Reliquum est, ut de Andro insula pauca addamus. Cuius urbs et arx, ut Livius XXXI. 45. 3 sqq. ostendit, anno 200 a. Chr. n. ab Attalo rege et L. Apustio legato expugnatae a Romanis Attalo erant concessae i. e. nimirum tota insula, quia arx et urbs ei imminebant. Hoc etiam in verbis inest, quae sequuntur apud Livium: Attalus, ne desertam haberet insulam e. q. s. In pacis condicionibus anni 196 a. Chr. n., quales traditae sunt, Andros insula Eumeni denuo non est

---

1) De Attalo, Eumenis regis, fratre nullo pacto cogitari potest, cfr. Buschmann, p. 8 adn. 1.

2) cfr. C. Müller: Aegineticorum liber Berol. 1817 cap. V. § 8. p. 192; Nissen, p. 145. De errore Niebuhri: Vorträge über alte Geschichte ed. M. Niebuhr 1851 vol. III. p. 476 cfr. Buschmann, p. 11 adn. 5.

3) cfr. Meier, p. 360 adn. 17.

adiudicata (cfr. Buschmann, p. 11. adn. 6) sed e Livi verbis § 7 sq. 'Attalus, ne desertam haberet insulam, et Macedonum fere omnibus et quibusdam Andriorum, ut manerent, persuasit. postea et ab Delio, qui ex pacto travecti eo fuerant, promissis regis, cum desiderium quoque patriae facilius ad credendum inclinaret animos, revocati' colligendum esse existimo Attalum, cum id ageret, secum reputasse Andrum sibi permansuram esse. Atque etsi haec insula, antequam in Philippi regis potestatem redacta est, Ptolemaeo, Aegyptiorum regi erat subiecta, tamen id impedimento non fuisset, quominus Pergamenorum regi traderetur, cum etiam Graecorum in Asia nonnulla oppida, quae in Ptolemaei dicione fuerant, priusquam a Philippo et Antiocho capta sunt, Ptolemaeo non restituerentur [1]). Offendas sane in eo, quod in pacis legibus non commemoratur Andrum in regis Pergamenorum dicione mansisse. Sed potuit fieri, ut Valerius Antias (apud Livium XXXIII. 30. 10) perverse 'Aeginam insulam' pro 'Andrum insulam' scriberet pariter atque Attalo pro Eumene. Tum autem esset ponendum illum annalium scriptorem non ignorasse Andrum in bello Pergamenis addictam esse. Verum omnino Romani

1) Polybii verba XVIII. 44 'τοὺς μὲν ἄλλους Ἕλληνας πάντας, τούς τε κατα τὴν Ἀσίαν καὶ κατὰ τὴν Εὐρώπην ἐλευθέρους ὑπάρχειν καὶ νόμοις χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις κτλ. (cfr. Liv. XXXIII. 30. 2 sqq.) non spectant ad omnes Asiae civitates Graecas (cfr. Polyb. XXI. 23, Liv. XXXVII. 54), sed ad eas tantum, quae a Philippo erant occupata vel eius iuris habebantur, ut etiam scripserunt Appianus Maced. 9. 3 ἐκέλευσε τὰς πόλεις, ὅσαι ἦσαν Ἑλληνίδες ὑπὸ Φιλίππῳ, πάσας ἐλευθέρας εἶναι et Zonaras IX. 16 τὰς γὰρ ἄλλας πόλεις τάς τε ἐν τῇ Ἀσίᾳ καὶ ἐν τῇ Εὐρώπῃ τὰς πρὶν δουλευούσας αὐτῷ ἐλευθέρας ἀφῆκαν (cfr. Weissenborn ad Liv. XXXIII. 30. 2). Ex quibus nonnullae, quae Ptolemaei regno comprehendebantur, a Philippo autem erant expugnatae, Ptolemaeo redditae non sunt, sed libertatem acceperunt (cfr. Polyb. XVIII. 47. 1). Sed re vera ab Antiocho rege tenebantur, qui eas annis 197 et 196 a. Chr. n. armis subegerat atque in dicionem suam redegerat. Itaque rectissime iudicavit Niebuhr: Vorträge vol. II. p. 160: 'Die Eroberungen Philipps, die den Ptolemäern gehörten, hätten denselben zurückgegeben werden müssen, bekamen aber zum Scheine die Freiheit'

mihi videntur voluisse illam condicionem pacis legibus non contineri, quod insulam iam ante quattuor annos Attalo condonavissent et male se habuisset Andros in dicionem potestatemque Eumenis redacta pro reliquis omnibus in libertatem vindicatis civitatibus. Nam confitemur Polybium XVIII. 47 (cfr. Liv. XXXIII. 34. 9) proferre oportuisse illam una cum Oreo oppido, quod aeque atque Andros ab Attalo, Romanis, Rhodiisque expugnatum regi cesserat (cfr. Liv. XXI. 46. 16), libertate esse donatam ex senatus consulto a T. Quinctio decemque legatis, si Eumenes illam non retinuisset.

Quo magis est dolendum, quod e rebus posterioribus annis gestis nihil afferri potest, quo Pergamenorum regum fuisse Andrum insulam comprobetur. Nam Livi verba XXXVI. 20. 7, quamquam ex iis cognovimus A. Atilium, praefectum classis Romanae, ad Andrum anno 191 a. Chr. n. magnos regios commeatus excepisse et ille stationem in insula habuisse videtur, ansas non dant coniecturae insulam in Eumenis dicione fuisse.

IV.

DE BELLIS EUMENIS REGIS CUM NABIDE LACEDAEMONIORUM TYRANNO GESTIS.

Prius bellum, quod Romani, Eumenes rex aliique socii Nabidi, Lacedaemoniorum tyranno[1]), intulerunt anno 195 a. Chr. n., sicuti a Polybio erat narratum, a Livio XXXIV. 22 sqq. praebetur (cfr. Nissen: l. l. p. 159 sqq.); de quo, cum iam saepe subtiliter disputatum a viris doctis neque quidquam in controversia relictum sit, provoco ad praeclaros illos libros, in quibus res illa aetate gestae descriptae sunt, Mommseni: Römische Geschichte Berol. 1861. I. p. 715 sqq., Ihnei: Römische Geschichte III. p. 55 sqq., Hertzbergi: Geschichte Griechenlands unter der Herrschaft der Römer Hal. 1866 I. p. 85 sqq. nec non ad Meieri l. c. p. 370 sqq. et Buschmanni l. c. p. 11 sq.

Sed liceat mihi paucissima addere de duobus titulis ad illud bellum spectantibus, qui nuperrime Pergami sunt reperti et a Fraenkelio: l. l. p. 47 sqq. in lucem editi[2]). Quorum alterius e tribus constantis fragmentis lacunas quamquam

---

1) Occasione oblata hic afferam Nabidis nomen etiam inveniri in titulo Mycenensium, quem Tsounta in ephem. arch. 1887 p. 156 emisit et in nummo, quem Lampros in Bull. de corr. hellén. 1891 p. 415 sqq. in lucem edidit et quem nuperrime suum fecit museum Berolinense. Notandum autem est et hic et illic ΝΑΒΙΟΣ pro ΝΑΒΙΔΟΣ scriptum esse.

2) cfr. Conze: Monatsberichte der Berliner Academie 1881.

Fraenkel in universum rectissime explevisse mihi videtur[1]), de nonnullis tamen ab illo viro docto dissentio.

In versu primo angustius esse spatium quam ut sufficiat litteris *νγενομενων εκτ*, quas Fraenkel inseruit, nuper postquam Berolinum profectus inscriptiones inspexi[2]), adeo mihi est exploratum, ut credam melius scribi *τῶ[ν ἠγμένων*[3]) *ἐκ τ]ῆς* vel simile quidpiam. Verbum autem *καταστρεψάμενον* in versu tertio num apte positum sit ab illo, valde dubito. Argos[4]) enim Macedonum ducem Philoclen, qui Corintho Argisque praeerat, Nabidi tyranno[5]) tradere Philippus rex anno 197 a. Chr. n. iussit, ut is Macedonibus auxilia ad bellum ferret ratus se illi 'Argivorum urbem velut fiduciariam dare, ut victori sibi restitueret, si quid adversi accidisset, ipse haberet' (Liv. XXXII. 38. 2). Sed tyrannus Argos nactus statim ad

---

1) Titulus (no. 60 p. 47) est hic:

ΒΑΣΙΛΕΥΣΕΥΜΕΝΗΣΑΠΟ]ΤΩ[ΝΓΕΝΟΜΕΝΩΝΕΚΤ]ΗΣΣΤΡΑΤΕΙΑΣΛΑΦΥΡΩΝ
ΗΝΕΣΤΡΑΤΕΥΣΑΤΟΜΕΤΑΡΩΜΑΙ]ΩΝΚ[ΑΙΤΩ]ΝΑ[ΛΛΩΝ]Σ[Υ]ΜΜΑΧ[Ω]ΝΕΠΙ
ΝΑΒΙΝΤΟΝΛΑΚΩΝΑ
ΚΑΤΑΣΤΡΕΨΑΜΕΝΟΝΤΟΥΣΑΡΓΕ]ΙΟΥ[ΣΚΑΙ]ΜΕ[Σ]Σ[Η]ΝΙ[ΟΥ]ΣΑ[ΠΠ]ΑΧΡΗΝ
ΑΘΗΝΑΙΝΙΚΗΦΟΡΩΙ.

cfr. L. von Urlichs: Pergamenische Inschriften' in progr. XVI. lycei de Wagneriani. Würzburg. 1883. Sed quae ille protulit supplementa comprobari nequeunt: nam unius tantum fragmenti (apud Fraenkelium no. 60 B) notitiam habuit atque ex duobus aliis cognovimus illum perverse lacunas explevisse.

2) Occasione hac data facere non possum, quin maximas agam gratias et Curtio Wachsmuthio, qui musei Berolinensis praesidibus me libentissime commendavit, et Puchsteinio, qui benignissime mihi permisit, ut illos titulos nondum in conspectum vulgi datos cognoscerem.

3) cfr. Polyb. XVIII. 4. 8. *ἵνα τὸν νόμον ἄρητε τὸν διδόντα τὴν ἐξουσίαν ὑμῖν ἄγειν λάφυρον ἀπὸ λαφύρου κτλ.* et c. 5. 1 sqq.

4) cfr. Marcel Dubois: Les ligues Etolienne et Achéenne Par. 1885 (Bibliothèque des écoles françaises d'Athènes et de Rome vol. XL. p. 75 sqq.)

5) B. Kaestner: 'Charakteristik der römischen Politik in dem Zeitraum von 200 v. Chr. bis zu Carthagos und Corinths Zerstörung' in progr. gymn. Casim. Coburg. 1876 p. 17 sqq. Nabin miro errore semper nescio quo casu vocavit Agim.

societatem Romanam se applicavit (cfr. Liv. XXXII. 38, XXXIV. 31 sqq.). Itaque accepit Nabis urbem ipsis vocantibus Argivis ac tradentibus, non occupavit, ut Nabidis ipsius verba apud Livium XXXIV. 31. 7 utar. Contra Messenen anno 201 a. Chr. n. vi atque armis ceperat (cfr. Liv. XXXIV. 32. 16, Polyb. XVI. 13 sqq., Plut. Philop. 12, Pausan. VIII. 50. 5) et usque ad annum 195 a. Chr. n. Messeniorum agros eum possedisse e Livi verbis XXXIV. 35 facile conicias, etsi illo tempore maximam Messeniae partem amiserat. Quibus de causis nescio an rectius suppleatur *κατασχόμενον* vel potius *καταδουλώσαντα*, quod optime quadrat ad litterarum numerum, quae exciderunt (cfr. Liv. XXXIV. 22. 10).

Sed levioribus his rebus tituli sententia minime mutatur. Dedicavit autem Eumenes hoc epigrammate Ahenae nicephorae praedam, quae facta erat bello cum Romanis aliisque sociis adversus Nabin tyrannum gesto. Quae capi non potuit nisi de Lacedaemoniis Gythei et Lacedaemone inclusis, cum Eumenes utriusque oppugnationi interfuisset, postquam L. Quinctius, T. Quincti frater, cum Romanorum classe Laconiae urbes maritimas expugnavit. Sed cum proeliis commissis ad Lacedaemonem, quam Nabis Romanis non dedidit, praeda parta non esset et Gytheo modo tradito posset fieri, ut Eumeni praeda attribueretur, puto in titulo dici de ea, quae in bello a Romanis eorumque sociis capta inter eos bello composito dispertita est atque Eumenem illam auxilii pretium accepisse neque quidquam aliud, ut luculenter apparet e Livi verbis XXXIV. 35 sqq.

Titulus alter apud Fraenkelium no. 61 p. 48 optime ab illo suppletus basi statuae est inscriptus, quam Eumenis regis in honorem statuerunt milites, qui eius imperio ad bellum contra Nabin profecti erant.

Sed omittamus haec et transeamus ad Nabidis bellum alterum. Pacatus Nabis tyrannus oppidis omnibus maritimis erat spoliatus neque multum afuit, quin Lacedaemonis in

muros concluderetur. Neque igitur est mirum illum semper eorum partes secutum esse, qui Romanis erant infestissimi, praesertim cum anno 194 a. Chr. n. Romanorum praesidia Demetriade, Chalcide, Corintho in Italiam reducta essent. Nihilo secius duos per annos hostilia coeptare adversus Romanos eorumque socios non est ausus atque anno demum 192 a. Chr. n. belli initium fecit. Ad arma autem stimulatus est ab Aetolis, qui populo Romano inimicissimi (cfr. Liv. XXXV. 12. 5 sqq. et 35. 3) eum ad causam suam facili negotio perduxerant, ut bello instante inter Romanos et Antiochum, Syriae regem, secum arma ferret adversus illos, et commotus legationibus illorum ad Antiochum missis, quibus regem brevi tempore in Graeciam venturum esse nuntiatum erat. Sed cum Antiochus ut copias suas in Graeciam traiceret bellumque Romanis inferret, ab animo impetrare non posset, maturavit tyrannus nullo adiutore oppida recuperare, quae antea possederat, neque fieri potuit, quin male rem gereret.

Quod bellum saepius tractaverunt viri docti, quorum sententiae subinde in diversum tendunt (cfr. Mommsen, p. 725sqq., Ihne, p. 80 sqq., Hertzberg, p. 109 sqq.). De Eumenis autem societate nihil invenies nec in libris veterum scriptorum neque in huius aetatis. Attamen nunc quidem regem anno 192 a. Chr. n. ad bellum adversus Nabin profectum esse negari nequit, cum locuples testis exstiterit titulus, qui ante paucos annos Pergami in lucem protractus est [1]). Cuius fragmenta qui postremus publicavit Fraenkel (l. l. no. 62) solus ita exhibet inscriptionem, ut usui esse possit. Nam Dittenbergeri (l. l. no. 203) supplementa adnotationesque esse falsas fragmento quarto mense demum Septembri anni h. s. LXXXIII. reperto apparuit. Eadem de causa comprobari nequeunt, quae L. von Urlichs (l. l. p. 13 sqq.) disputavit.

Ex tituli verbis *οἱ μετὰ βασιλέως Εὐμένου πλεύσαντες τὸ δεύτερον εἰς τὴν Ἑλλάδα στρατιῶται ἐκ τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς Νάβιν καὶ Ἀντίοχον ἐπιστρατεύσαντας τοῖς Ἕλλησιν*

1) cfr. Conze: Ergebnisse der Ausgrabungen zu Pergamum p. 84.

ἀκροθίνιον Ἀθηνᾷ Νικηφόρῳ cognoscimus Eumenem regem iterum cum exercitu in Graeciam traiecisse ad bellandum cum Nabide et Antiocho, Syriae rege. Nam haec est epigrammatis sententia: milites cum Eumene iterum navibus in Graeciam vecti praedam in bello Nabidis et Antiochi captam, qui contra Graecos profecti erant, Athenae nicephorae consecrant. Ea autem vis est subiecta praepositioni *ἐκ*, ut significet, unde praeda facta sit, velut in aliis titulis Pergamenis exempli gratia in titulo no. 60 p. 47 apud Fraenkelium: *ἐκ τῆς στρατείας λαφύρων, ἣν ἐστρατεύσατο μετὰ Ῥωμαίων καὶ τῶν ἄλλων συμμάχων ἐπὶ Νάβιν τὸν Λάκωνα*, similiter ac praepositioni *ἀπὸ* velut in titulo no. 58 p. 46: *ἀπὸ τῆς παρὰ τὸν Ἅρπασον ἐν Καρίᾳ πρὸς Ἀντίοχον μάχης*, no. 52 p. 44 *ἀπὸ τῆς πρὸς ..... καὶ Μακεδόνας παρὰ .... ναυμαχίας*, no. 53 p. 44 *ἀπὸ τῆς πρὸς Τολιστοαγίους παρὰ .... μάχης* aliisque.

Hic fortasse quaerere licet, quae Eumenis regis expeditio in Graeciam sit intellegenda. Ad bellum cum Nabide anno 195 a. Chr. n. gestum verba *οἱ μετὰ βασιλέως Εὐμένους πλεύσαντες τὸ δεύτερον εἰς τὴν Ἑλλάδα στρατιῶται ἐκ τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς Νάβιν καὶ Ἀντίοχον* referri nequeunt, quia vocabulo *δεύτερον* praeponitur altera Eumenis in Graeciam navigatio, quam anno 195 a. Chr. n. ad bellum Romanorum eorumque foederatorum adversus Nabin factam esse auctores sunt rerum scriptores. Itaque ex hac inscriptione Eumenem post annum 195 a. Chr. n. iterum ad bellum cum tyranno gerendum in Graeciam navigasse est in aperto, quod fieri non potuisse nisi anno 192 a. Chr. n. rectissime Fraenkel (l. l. ad tit. no. 62) demonstravit. Hoc enim tempore pax cum Romanis eorumque sociis anno 195 a. Chr. n. constituta a Nabide tyranno dirempta est (cfr. Liv. XXXV. 12) et illum annis, qui antecedunt, pacem servasse iam supra fecimus mentionem.

Atque etsi ab historiarum scriptoribus Eumenem bello alteri cum tyranno suscepto interfuisse non commemoratur, regem anno 192 a. Chr. n. in Graecia fuisse testificatur ipse Livius XXXV. 39. 1 hisce verbis 'Quinctius quoque his

auditis ab Corintho veniens navibus in Chalcidico Euripo Eumeni regi occurrit', quo loco eum nobis offerri necopinantibus iam diu viri docti adnotaverunt[1]). Praeterea Livius XXXV. 23. 10 sq. Attalum, Eumenis fratrem, anno 192 a. Chr. n. Romam profectum nuntiavisse Antiochum regem Hellespontum cum exercitu transisse et Aetolos ita se parare, ut sub adventum eius in armis essent, diserte prodidit[2]). Qui tempore verno vel aestivo anni 192 a. Chr. n. Romam advenit (v. infra p. 76 sqq.), nimirum postquam cum Eumene fratre vere anni 192 a. Chr. n. mare Aegaeum in Graeciam traiecit. Ibi autem cum Antiocho rege bellatum iri cum satis apparuerit atque Romanorum legati tum saepissime Eumenem convenerint, non dubito, quin de rege in Graeciam mittendo consilia inita sint eodemque modo rex certior factus de Nabidis consiliis rebusque ab eo gestis in Laconiae oppidis maritimis cum navibus ad auxilium ferendum Romanis sociisque Graecis in Graeciam properaverit. Sic quodam modo Eumenes profectus est adversus Nabin et Antiochum sicut in titulo illo est scriptum '*ἐκ τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς Νάβιν καὶ Ἀντίοχον*.'

Perperam autem haec verba interpretareris, si crederes Eumenem in Graeciam navigasse ad pugnandum cum Antiocho et Nabide, Romanorum hostibus inter se coniunctis[3]). Nam

---

1) cfr. Drakenborch ad Livium XXXV. 39. 1, Meier, p. 372, Buschmann, p. 14 adn. 10, Weissenborn ad Liv. l. c., Ihne, p. 87, cuius verba exempli gratia afferam: 'Wann und mit wie viel Mannschaft Eumenes nach Europa gekommen war, hat Livius nicht berichtet. Es ist dies die althergebrachte Nachlässigkeit oder absichtliche Verschweigung der Mitwirkung der Bundesgenossen, die durch die ganze römische Geschichtschreibung geht, cfr. I. p. 232'.

2) Itaque Nissen, p. 171 suo iure illam Attali legationem fide non prorsus indignam esse censuit.

3) Mire, ut videtur, de duobus bellis, quae se excipiebant, est dictum '*ἐκ τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς Νάβιν καὶ Ἀντίοχον*', sed res involutas explicabis, cum tecum consideraveris conexa inter se fuisse illa duo bella. Nam Nabis belli initium fecit spe commotus Antiochum brevi tempore arma laturum esse contra eosdem Romanos eorumque confoederatos.

id unum e tituli verbis effici potest, ut milites cum Eumene in Graeciam transvecti proeliati sint cum militibus et Nabidis et Antiochi.

Quo tempore autem illa Eumenis expeditio facta sit, in controversia non versatur, cum Attalum Romam pervenisse vere vel aestate anni 192 a. Chr. n. (a. u. c. 562) et cum Nabide tyranno vere et aestate dimicatum esse non sit ambiguum.

Sed ad bellum ipsum transgrediamur tractandum atque, cum Eumenem et Romanos auxiliatos esse Achaeis conflictantibus cum Nabide a rerum scriptoribus non sit narratum, breviter praemoneamus, quae rationes Achaeis et Nabidi cum Romanis in illo bello fuerint.

Achaei belli initio legatos Romam miserunt, qui renuntiarent Nabin foedus cum Romanis anno 195 a. Chr. n. ictum violasse bellumque coepisse Gytheum oppidum oppugnantem (cfr. Liv. XXXV. 13). Romani autem, priusquam L. Quinctius et Cn. Domitius Ahenobarbus consules in provincias profecti sunt, M. Baebium Tamphilum et A. Atilium praetores 'duos exercitus, terrestrem navalemque adversus Nabim aperte iam oppugnantem socios populi Romani' parare iusserunt (cfr. Liv. XXXV. 20. 13) et Cn. Domitium in urbe remanere, quoad P. Villius, P. Sulpicius, P. Aelius legati reverterentur, qui ad Antiochum erant missi. L. Quinctium praeterea a senatu vetitum esse in provinciam ire e Livi verbis XXXV. 22. 3 facile conicias 'consules, quando nihil ab Antiocho instaret, proficisci ambo in provincias placuit'. Adde, quod idem senatus decrevit, ut A. Atilius [1]) triginta naves quinqueremes faceret et ex navalibus veteres deduceret, si quae utiles essent, et scriberet navalis socios atque M. Fulvius Centumalus et L. Scribonius Libo praetores, quibus ut ius dicerent Romae provincia erat,

---

1) Apud Livium XXXV. 20. 12 et 21. 1 A. Atilium et M. Baebium Tamphilum inter se esse confusos recte iam adnotavit Weissenborn ad Liv. l. l.

praeter eam classem, cui A. Atilius praetor praefuturus erat, centum quinqueremes pararent (cfr. Liv. c. 21. 1). Postquam autem legati ab Antiocho et Eumene Romam redierunt et sicut Achaeorum legati nuntiaverunt Nabin contra foedus maritimam oram Laconum oppugnare, A. Atilius cum classe in Graeciam missus est ad tuendos, ut ait Livius c. 22. 2, socios (cfr. c. 23. 4) et consules Cn. Domitius et L. Quinctius n provincias profecti sunt. Eodem autem tempore T. Quinctius, Cn. Octavius, Cn. Servilius, P. Villius legati comperto Antiochum, cum in Aetoliam venisset, extemplo classe in Siciliam navigaturum esse et eum Hellespontum cum exercitu transisse et Aetolos ita se parare, ut sub adventum eius in armis essent, in Graeciam missi sunt, quia non copiis modo, ut Livi c. 23. 5 verbis utar, sed etiam auctoritate opus erat ad tenendos sociorum animos.

Dum haec geruntur, Nabis belli initium fecerat, quod Livius c. 13 his paucis verbis exponit: Nabis extemplo circa omnis maritimos vicos dimisit ad seditiones in iis miscendas, et alios principum donis ad suam causam perduxit, alios pertinaciter in societate Romana manentis occidit. Achaeis omnium maritimorum Laconum tuendorum a T. Quinctio cura mandata erat. Itaque extemplo et ad tyrannum legatos miserunt, qui admonerent foederis Romani, denuntiarentque, ne pacem, quam tantopere petisset, turbaret, et auxilia ad Gytheum, quod iam oppugnabatur ab tyranno, et Romam, qui ea nuntiarent, legatos miserunt. Recuperare igitur Nabis conatus est maritimas civitates, e quibus a Romanis depulsus erat, et Argivorum urbem (cfr. Liv. c. 18. 5.). Summa autem vi Gytheum oppidum oppugnavit (cfr. Liv. c. 25.). Quod cum ab Achaeis defenderetur, illorum agros ulciscendi causa populatus est. Tamen Achaei adversus tyrannum non prius arma ceperunt, quam legati Roma reverterunt. Tum Sicyonem concilium edixerunt. De senatus autem responso nihil comperimus neque tamen dubium esse mihi

videtur [1]), quin senatus Achaeos delegaverit ad T. Quinctium Flamininum aliosque legatos in Graeciam missos. Eodem enim tempore, quo concilium indixerunt, Achaei ad T. Quinctium miserunt, ut consilium ab eo peterent. Hic autem eis suasit, ut exspectarent A. Atilium classemque Romanam, antequam propriis viribus consiliisque bellum susciperent.

Unde efficitur A. Atilium, qui ante T. Quincti decessum in Graeciam missus erat (cfr. Liv. c. 23. 4), tum Romanorum classem ad Peloponnesi oram iam appulsurum fuisse. Attamen apud Livium XXXV. 37. 3 invenimus illum cum quattuor et viginti quinqueremibus ad Gytheum accessisse, cum Nabide iam occiso Philopoemen, Achaeorum praetor, Spartae elaboraret, ut Lacedaemonios societati Achaeorum adiungeret. Consonant cum his in universum Zonarae verba IX. 19: (*ἔστειλαν*) *Αὖλον δὲ Ἀτίλιον ἐπὶ τὸν Νάβιν· καὶ οὗτος μὲν οὐδὲν ἔπραξεν, ἔφθη γὰρ ὁ Νάβις ὑπὸ τῶν Αἰτωλῶν φθαρεὶς ἐξ ἐπιβουλῆς, καὶ ἡ Σπάρτη ἥλω ὑπὸ τῶν Ἀχαιῶν,* qui usus Cassio Dione Livium [2]) secutus est. Sed verba '*καὶ οὗτος μὲν οὐδὲν ἔπραξεν*', cum apud Livium non exstent, postea sunt addita, nimirum quod a Livio de rebus ab Atilio Romanaque classe gestis nihil erat proditum: itaque omittenda. Neque enim e Livi verbis consequitur tum ab urbe A. Atilium cum navibus accessisse ad Gytheum, cum Philopoemen Spartae cum Lacedaemoniis de societate egerit, sed Livius modo dicit A. Atilium, ad idem forte tempus Gytheum venisse, quo Philopoemen Lacedaemonios societati Achaicae adiungere conatus sit. Quibus verbis sententia subiecta est haec: Philopoemen eo facilius a Lacedaemoniis societatem impetravit, quod praetor, qui 'ad idem forte tempus accessit ad Gytheum' omnibus copiis a Gytheo auxiliatus Philopoemeni

---

1) cfr. F. Ruehl: 'Der letzte Kampf der Achaeer gegen Nabis' in Fleckeiseni annalium vol. CXXVII (1883) p. 34.

2) cfr. W. A. Schmidt: 'Ueber die Quellen des Zonaras' in Zimmermanni annalibus antiquariis anni 1839 p. 238 sqq. et in Zonarae editionis Dindorfianae vol. VI. (1875).

Lacedaemonios invitos cogere potuit voluntati obtemperare Achaeorum, qui foedere cum Romanis coniuncti erant. Res cum ita se habeant, Gytheum oppidum iam tum Nabidi eiusque sociis ereptum fuisse puto, sed unde venerit A. Atilius in medio est relinquendum, quoniam harum rerum scientia est tenuissima.

Sed priusquam persequar Liviana, — infra enim revertar ad illa — res bello gestas perlustrabo, quas Plutarchus et Pausanias prodiderunt. Quorum Pausanias VIII. 50 narrat Romanos, cum Philopoemen ex insula Creta in Peloponnesum rediret, Nabidi bellum intulisse atque, cum Romani naves adornarent, Philopoemena, qui tunc esset Achaeorum praetor, libentissimo animo ad partem belli capessendam se comparavisse. Sed cum in re navali rudis esset, triremem iam vetustate dilabentem eum ascendisse, ut Romanorum aliorumque sociorum animos memoria subiret verborum illorum, quae Homerus de Arcadum inscientia rerum navalium fecisset. Haud multis diebus post pugnam navalem eum cum armatis nocte illuni ad Gytheum progressum Lacedaemoniorum castra inflammavisse atque Nabin, a quo circumventus esset, qua erat virtute imperatoria, loco peropportuno occupato magna tamen cum militum clade in fugam vertisse. Tyrannum autem, cum a Romanis in tempus certum indutias impetravisset, a Calydonio quodam, qui specie foederis re vera ab Aetolis infensis animis in tyrannum esset missus, obtruncatum esse, priusquam indutiarum dies praeteriissent. Quibus factis Philopoemena Lacedaemonem profectum invitos Lacedaemonios ad foedus cum Achaeis percutiendum coegisse.

Ex hisce Pausaniae intellegitur Romanos Nabidi indutias dedisse, inter quas ille nondum constituta pace necatus est. Minorem fidem habuerim Pausaniae narranti (c. 50. 7) adfuisse Romanos aliosque socios, cum Philopoemen veterem illam triremem conscenderet, quo, nisi essent verba omni modo exornata, Eumenis praesentia probari posset.

Romanos autem bello inter Achaeos et Nabin gesto se interposuisse nuperrime F. Ruehl (l. l. p. 33 sqq.) diligentissime

exposuit. Est enim animadvertendum Livium illas res non omnes enarravisse, quamquam Livi aeque ac Pausaniae narratio e Polybii historiis fluxit [1]).

Ex eodem Polybio magnam in partem sunt hausta, quae Plutarchus in Philopoemenis vita c. 14 sq. tradidit. Illud vero iam non miror, quod Plutarchus neglectis ceteris Philopoemenis modo res persecutus est, cum Philopoemenis vitam componeret atque ob eam causam omitteret, quae a proposito aberrarent. Plurima sane ex Polybio repetivit, addidit autem, ut erat vir immensae lectionis et variae doctrinae, narratiunculas fabulasque ex aliis scriptoribus depromptas.

Sed quandoquidem harum rerum libri Polybiani ad nos non pervenerunt, e Livio, Pausania, Plutarcho, quantum fieri potest, conquirere opus est Polybii narrationem. Ille vero, qui Philopoemena imitandum sibi proposuerat eumque praeter ceteros omnes colebat, in historiarum libris eum laudibus extulit, quem ad finem illum usum esse Philopoemenis vita, quam ipse composuerat, contendendum est. Sed, quia sunt Polybiana *ἀριστεία* Philopoemenis (cfr. Nissen, p. 171), num est, cur censeamus Polybium reliqua belli omisisse nimio Philopoemenis Achaeorumque studio commotum, cum Livius, Pausanias, Plutarchus non sint auctores Eumenem regem bello cum Nabide gesto interfuisse? Quid esset aliud, quam Polybio crimini dare, quod ad historiae fidem res non enarrasset?

Iam integra a Livio Polybiana reddita esse refutandum est, si probari potest Polybium plura praebuisse, quam e Livianis nunc cognoscimus. Atque id, quantum equidem iudicare possum, e Pausaniae verbis VIII. 50. 10: *Νάβις μὲν εἰς εἰρημένον χρόνον σπονδὰς παρὰ Ῥωμαίων εὑράμενος τελευτᾷ, πρὶν ἢ οἱ τοῦ πολέμου τὰς ἀνοχὰς ἐξήκειν κτλ.* et Plutarchi Philop. 15. *ἐκ δὲ τούτου καταλύεται*

1) Pausaniam sua repetivisse a Polybio optimo iure Ruehl contra Nissenum, p. 287 sqq. contendit, et Livium Polybium secutum esse demonstravit Nissen, p. 171 sqq.

μὲν ὁ Τίτος τῷ Νάβιδι τὸν πόλεμον, ἀποθνήσκει δὲ ὁ Νάβις ὑπ' Αἰτωλῶν δολοφονηθείς κτλ. satis luculenter apparet. Indutiae igitur Nabidi a Romanis concessae a Polybio commemoratae erant (cfr. Ruehl: l. l. p. 37 sqq.), at nihil de his apud Livium. Qui rebus Peloponnesiacis relictis transit verbis 'dum inter Achaeos et tyrannum bellum erat e. q. s.' (XXXV. 30) ad T. Quinctium ceterosque Romanorum legatos, qui foederis firmandi causa sociorum civitates circumierunt, ac tum demum ad Lacedaemonios redit, cum persecuturus est Alexameni Aetoli dimissionem ad Lacedaemonios eiusque adventum ad Nabin tyrannum. Illa autem, quae gesta sunt brevi ante indutias inter Romanos Nabinque factas, Livius his verbis tetigisse sat habet 'Lacedaemone non urbi vis adferenda, sed tyrannus dolo capiendus erat, quem spoliatum maritimis oppidis ab Romanis, tunc intra moenia etiam Lacedaemonis ab Achaeis compulsum e. q. s.' Itaque quae evenerunt inde ab illo tempore, quo Nabis Lacedaemone inclusus est, silentio praeterit, etsi Philopoemenis reditus meminit, qui dies prope triginta ad Lacedaemonem vallo fossaque cinctam stativa posuerat et Laconum agros vastaverat, atque id videlicet, quia c. 27 sqq. eum ad Lacedaemonem exercitum duxisse exposuerat. Parum autem accurate a Livio dicta sunt verba ista 'debilitatisque ac prope fractis tyranni viribus domum rediit', quin etiam Polybium illis verbis belli exitum circumscripsisse omnino credibile non est (cfr. Ruehl, p. 37).

Tamen Livius enarrans Alexameni Aetoli missionem supra a se exposita esse multa finxit, quae frustra quaeres. Dico Livi verba c. 35 'quem spoliatum maritimis oppidis ab Romanis, tunc intra moenia etiam Lacedaemonis ab Achaeis compulsum', quae, ut opinor, ad alterum bellum cum Nabide gestum revocanda sunt. Ex quibus efficitur Nabin, cum Aetoli Alexamenum missuri essent, iam omnibus oppidis maritimis, quae bello occupaverat (cfr. Liv. XXXV. 13 et c. 27. 13), a Romanis fuisse privatum, petivisse autem ab Aetolis, quibus auctoribus rebellasset, iterum

atque saepius auxilium, antequam pressus a Philopoemene obsidione a Romanis indutias impetraret. Illis enim factis Aetolorum auxilio ei non iam opus erat. Indutias autem fuisse, quo tempore Alexamenus Lacedaemonem venit, e Livi verbis, quamquam illas factas esse antea non dixit, c. 35. 9 'ut quas haberet copias non sineret sub tectis marescere otio, sed educeret et in armis decurrere cogeret, simul animos acueret et corpora exerceret' et c. 35. 10 'educi inde frequenter ante urbem in campum ad Eurotan amnem coepere' perspicuum esse iam Ruehl p. 38 sqq. protulit. An tu putas Nabin in campum ad Eurotan amnem ante urbem copias educere potuisse, cum ab Achaeis inclusus oppugnaretur?

Quae habemus manifesta indicia, ex quibus cognoscimus non integram Livi narrationem esse. Quod autem omisit Livius illas res, excusatur libri XXXV. dispositione et forsitan etiam afferri liceat, quod de Romanorum rebus gestis perpauca modo eaque laude non digna dicenda erant.

Haec autem ut persaepe ab aliis scriptoribus Romanis sic a Livio reticentur similiter ac sociorum merita in populum Romanum. Quo factum est, ut Livius etiam Eumenis merita in Nabidis bello altero silentio praeteriret. Illum enim bello interfuisse titulo supra collaudato comprobatur, sed quo proelio cum Nabide conflixerit, nunc quidem, quoniam memoria harum rerum non integra est, definire non possumus.

Neque vero scio, an res bello gestae aperiantur et illustrentur, si Eumenis classem ad Peloponnesum praesto fuisse fingas. Illam adfuisse, cum Nabis cladem afferret Philopoemeni obsidione Gytheum solvere conato, vel inde refutatur, quod tyrannus Livio XXXV. 26. 1 teste cum tribus tantum navibus tectis et lembis pristibusque Achaeorum classem fugavit. Post cladem 'Philopoemen — atque hic ad Liviana redire licet — in levi speculatoria nave fugit, nec ante fugae finem, quam Patras ventum est, fecit'. Quae Livi verba quin corrupta sint, non est dubium, cum

fieri non potuerit, ut Philopoemen Patras fuga peteret, quo venire non potuit nisi totam Peloponnesum circumvectus. Huc accedit, quod paucis diebus post, ut ex Pausaniae verbis VIII. 50. 8: *ἡμέραις δὲ ὕστερον τῆς ναυμαχίας οὐ πολλαῖς Φιλοποίμην τὸ στρατόπεδον τῶν Λακεδαιμονίων κατεμπιπρᾶσιν ἐν Γυθίῳ* et Plutarchi Philop. 14: *πρὸς ταῦτα γινώσκων καταφρονοῦντας αὐτοῦ τοὺς πολεμίους ὡς παντάπασι πεφευγότος ἐκ τῆς θαλάττης καὶ πολιορκοῦντας ὑπερηφάνως τὸ Γύθιον εὐθὺς ἐπέπλευσεν ἀυτοῖς οὐ προσδοκῶσιν, ἀλλ' ἐκλελυμένοις διὰ τὴν νίκην* elucet, e statione occulta agri Argivi Gytheum navibus rediit, quod sane non potuisset, si Patras confugisset. Ad planum autem atque professum producitur haec sententia, cum respicimus ea, quae Nabis fecit. Hic enim tertia parte copiarum a Gythei obsidione abducta ad Pleias posuit castra scilicet ut terrestres aditus ad Gytheum clauderet i. e. ut impediret, ne Philopoemen per Laconiam ab ora maritima ad solis ortum spectante ad Gytheum copias duceret.

Quibus de causis assentior Ruehlio, qui (l. l. p. 34 sq.) scribendum proposuit 'Prasias ventum est', quam stationem agri Argivi fuisse e Polybio IV. 36. 5 coniecto [1]); nam fines Argivi tum erant supra Zaracem oppidum in Hieracon promunturii paeninsula [2]). In hanc stationem occultam a Philopoemene navigia parva contracta esse arbitror, ut extemplo contra tyrannum pugnam iteraret nimirum navibus suis haud multis, quae effugerant cladem, immixtis aliis. De quo autem portu cogitandum sit, mihi quidem non ambiguum videtur. 'Nabis tertia parte copiarum ab obsidione Gythei abducta ad Pleias posuit castra: imminet is locus et Leucis et Acriis, qua videbantur hostes exercitum admoturi', ait Livius c. 27. 2 sq., unde patet Nabin copiis illis suos tueri voluisse ab Achaeis, quos per Pleias Gytheum petituros esse a Zarace oppido

1) cfr. Stephanum Byzantium s. v. *Πρασιαί*; vocatur etiam *Βρασιαί* a Pausania III. 21. 3 et 21. 7.

2) cfr. Curtius: Peloponnesos. Gothae tom. II. 1852 p. 376.

animo prospiceret [1]). Quod cum audiret Philopoemen e Zaracis portu, quem opportunum fuisse apud Pausaniam III. 24. 1 scriptum est, litus Laconicum, ut opinor, praetervectus ad promunturium pervenit propinquum hostium castris. Tum nocte Pleias cum venisset, castris ignibus iniectis Lacedaemoniis tam exitiabilem cladem intulit, ut perpauci tantum in maiora castra ad Gytheum perfugerent.

Haec autem expeditio, in qua maxime Philopoemenis virtus et fortitudo enituit, tam audax et periculosa videtur, ut coeperim suspicari, num re vera facta sit, sicut a Livio descripta est. Nam Philopoemenem Achaeorum navibus, quae perpaucae et parvae erant, et militibus, quorum numerus magnus esse non potuit, quia postea demum exercitus Tegeam contractus est (cfr. Liv. c. 27. 11), brevi tempore post cladem acceptam iterum Nabin adortum esse a fide historiae abhorret. An tu putas eum post pugnam adversam calamitate doctum non cavisse, ne iisdem opibus imparibus denuo hostes peteret? Vero autem proprior et factu facilior expeditio erat, si Philopoemen hostes ad Pleias aggressus est navibus pluribus quam ante ad Acrias positis fugaque in tuto collocata. At fortasse dixerit quispiam e Livi verbis colligendum esse navigia fuisse parva! Quid? Nonne his ipsis parvis et paucis navibus Philopoemenis audacia et virtus augebatur? Atque si credis Philopoemena extemplo post calamitatem maiori classi occurrisse et cum illa e portu esse egressum, in hac expeditione non offendes. Quae sententia fide dignior videtur, quia Achaeorum praetor illo permagno navium numero adduci potuit, ut exercitum non sine spe prosperi eventus rursum contra hostes educeret et detrimentum sarciret. Praeterea

---

1) Curtius (l. l. p. 291) opinatus Nabin ad Pleias castra posuisse, ut itinera in Laconiae partes interiores et ad Helos et Geronthras Achaeis intercluderet, perverse Livi verba interpretatus est. Nam aditus in Laconiae interiora ab omnibus fere partibus Achaeis patebant neque castris ad Pleias positis claudi potuerunt. Sed Nabis interrumpere conatus est iter, quod ferebat a Zarace Pleias, ne Philopoemen per Pleias ad Gytheum exercitum duceret.

autem Philopoemenis reditus tutus a Lacedaemoniis erat factus, si res minus prospere cederet, postquam naves ad Acrias constitutae sunt. Sed cum ei contigisset, ut hostes ad Pleias prosterneret, in Laconiae partes interiores procedere potuit non veritus, ne naves suae a Lacedaemoniis caperentur, quod maiores et plures essent.

Quibus probatis non opus est coniectura colligere eum ab Acriis domum reversum omnibus copiis iterum in Laconiam invasisse, ut Manso: Sparta III. 1. p. 401, Ruehl, p. 36 aliique arbitrati sunt, quamquam de his nihil apud scriptores invenitur. Nam 'ita perculsis hostibus Philopoemen, ait Livius c. 27. 9 sq., protinus ad depopulandam Tripolim Laconici agri, qui proximus finem Megalopolitarum est, duxit et magna vi pecorum hominumque inde abrepta, priusquam a Gytheo tyrannus praesidium agris mitteret, discessit.' Patet igitur eum a Pleiis in Laconiam progressum esse ad Acrias navibus ad ancoras deligatis, quibus Nabis ad Gytheum retentus prohibitus est, quominus Achaeos e Laconum agris depelleret. Expeditionem autem illam haud scio an Philopoemen susceperit id agens, ut Nabide a Gytheo[1]) ad tuendos agros avocato oppidum per navium propugnatores liberaretur. Sed cum tyrannus ad Gytheum remansisset in oppidi oppugnatione perseverans, Philopoemen mediam per Laconiam domum se convertit.

Quae cum ita sint, non improbabile esse credo classem adfuisse illo tempore ad Peloponnesum eandemque Eumenis regis, cuius milites cum Nabide dimicavisse titulo supra laudato comprobatur: nam Romanorum naves teste Livio nondum in Graeciam pervenerant.

Post praetoris reditum exercitu contracto concilium Achaeorum sociorumque Tegeae habitum est, in quo praeter Epirotas et Acarnanes etiam alios socios praesentes fuisse verbis

---

1) Livius c. 27. 12 aperte dicit Achaeos decrevisse ad Lacedaemonem exercitum ducere, ut ab obsidione Gythei hostes abducerent.

Livi inesse videtur c. 27. 11: concilio eodem et Achaeis et sociis indicto, in quo et Epirotarum et Acarnanum fuere principes. Quinam illi fuerint, nunc quidem in medio relinquendum est, sed nescio, an optimo iure coniciamus Eumenem ex numero eorum fuisse, qui Achaeorum fuerint socii. Quo in concilio Achaeis placuit ad Lacedaemonem exercitum admovere, ut subito impetu Nabin cogerent omissa Gythei obsidione omnibus copiis patriae urbi auxilio venire. Itaque ut hoc consilium exsequeretur, profectus ad Caryas primum in hostium terra posuit castra. Sed inani spe sibi blandiebatur, nam eo ipso die Nabis Gytheum expugnavit neque impediebatur, quominus relicto satis valido praesidio ipse cum exercitu Lacedaemonem magnis itineribus peteret. Atque iam tempus maximum erat, ut oppido opem ferret, cum Philopoemen, qui nondum acceperat nuntium de Gytheo expugnato, in itinere progressus ad Barnosthenem montem decem tantum milia passuum a Lacedaemone consedisset. Nec tamen Nabis ipsam Lacedaemonem exercitu firmavit, sed praeter urbem postquam exercitum duxit, Pyrrhi quae vocant castra occupavit, quo Philopoemen quin tenturus esset non dubitabat (cfr. Liv. c. 27. 14). Sed quamquam primo Achaeorum agmini inopinatus obstitit, tamen Philopoemeni quamvis acri proelio contigit, ut tyranni milites in fugam converteret: erat enim in ducendo agmine locisque capiendis sollertissimus ita, ut in omni re gerenda consilioque capiendo constantiam servaret (cfr. Liv. c. 28). Quo factum est, ut Nabis cum paucis militibus, qui vivi e pugna excesserant, Lacedaemone includeretur a Philopoemene, qui 'insequentis dies prope triginta vastandis agris Laconum absumpsit, debilitatisque ac prope fractis tyranni viribus domum rediit, aequantibus eum gloria rerum Achaeis imperatori Romano, et quod ad Laconum bellum attineret, praeferentibus etiam' (Liv. c. 30. 12).

Quibus verbis Livius finem imposuit ei narrationis parti, qua bellum cum Nabide gestum pertractavit ne tantillum quidem adiciens de indutiis aut pacis legibus, quibus bellum compositum esse necessarium videtur. Iam vero ex Ruehlii sen-

tentia, cui me supra addixi, Pausanias VIII. 50 et Plutarchus Philop. 15 de exitu belli memoriae tradiderunt Nabin T. Quinctio Flaminino auctore a Romanis in certum quoddam tempus indutias impetravisse (cfr. Ruehl, p. 37 sqq.).

Inter has autem indutias Alexamenus ab Aetolis ad interficiendum tyrannum missus Lacedaemonem venit, ubi Nabin obtruncavit, priusquam a Romanis pacis condiciones sancitae erant.

Atque id quidem est, cur magnopere miremur, quod Romanorum hoc uno loco apud rerum scriptores mentio fit. Namque etsi facile est intellectu Romanos, non Achaeos Nabidi indutias dedisse [1]), quod et ille foedus ictum cum Romanis, Achaeorum sociis, fregerat et T. Quinctius ceterique legati in Graeciam missi erant, quod exarsisset Nabidis bellum et immineret Syriacum, tamen pervalde dubito, num Romani otiosos belli spectatores se praebuerint, priusquam Nabis a Philopoemene perdomitus est. Ansam dat dubitanti id potissimum, quod neutiquam narratur Gytheum aliaque oppida maritima, quae in tyranni partes transierant, ab Achaeis eorumque sociis recuperata esse, quamquam Nabin a mari omnino exclusum et finibus exiguis inclusum fuisse Livius testatur verbis c. 35. 1 'quem spoliatum maritimis oppidis ab Romanis, tunc intra moenia etiam Lacedaemonis ab Archaeis compulsum' et c. 37. 3 'societati Achaeorum Lacedaemonios adiunxit, eo etiam facilius, quod ad idem forte tempus A. Atilius cum quattuor et viginti quinqueremibus ad Gytheum accessit', ex quibus efficitur Gytheum oppidum illo tempore Nabidis partis iam non fuisse, cuius iam supra meminimus.

Quibus facile adducor, ut credam expugnata esse oppida, quae ad Nabidis causam se adiunxerant, cum illa ultro ad Achaeos transiisse verisimile esse non videatur. Atque id quidem omnium videtur probabilissimum ea tum recuperata

---

1) cfr. Ruehl, p. 37 sqq. Id quidem Romanorum tum maxime intererat impedire, quominus Nabis tolleretur, cum vellent eum Laconum imperium obtinere, ne Achaeorum opes modum excederent.

esse, cum Achaei Nabin in Lacedaemonem includerent et opus esset tyrannum omnibus privare, quae ad bellum gerendum necessaria essent. Neque tamen Philopoemen ipse oppida cepit: etenim altum de his rebus silentium apud Livium, qui alioquin multus est in Philopoemenis rebus enarrandis. Itaque cum de Achaeis non liceat cogitare, nil reliquum est, nisi ut refugiamus ad Eumenem et A. Atilium classis Romanae praefectum. Et sunt profecto, quibus haec coniectura fulciatur. Altera causa haec est: Dedicaverunt Eumenis regis milites in patriam reversi praedam, quae ubinam comparari potuerit nisi in oppidis maritimis expugnatis non perspicio. Deinde Romanorum classem A. Atilio praetore multo ante, quam viri docti adhuc censuerunt, in Graeciam advenisse puto, quod supra iam tetigimus. Quem haud multo post T. Quinctium in Graeciam venisse, etiam si tempestates aliaeque difficultates naves detinuissent, persuasissimum mihi est. Sed quid A. Atilius illic egerit, nescimus; an dubitamus, quin ille longum per tempus, quo cum Nabide bellabatur, a rebus gerendis se non abstinuerit? Nam longinquam fuisse Gythei obsidionem vel inde concluserit quispiam, quod anno 195 a. Chr. n. Romani cum sociis oppidum diu obsederant. Praeterea autem in illud tempus incidunt Philopoemenis ad Acrias navigatio, impetus in hostium castra ad Pleias, iter per Laconiam ad Tegeam oppidum, tum Achaeorum convocatio ac deliberationes in concilio et expeditio ad Lacedaemonem et proelia cum Nabide commissa, qui a Gytheo ad caput regni accurrerat, deinde Lacedaemonis obsessio Laconumque agris per triginta dies vastatio illata.

Sed quando bellum compositum sit, ex eis definiri potest, quae Livius cc. 35—37 de Alexameno posteris tradidit. Hic enim Lacedaemonem missus est eodem tempore, quo Diocles Aetolus Demetriadem, atque, cum Antiochus, Syriae rex, Demetriadem ab Aetolis occupatam esse certior factus extemplo omnibus copiis navibusque in Graeciam proficisceretur, quod autumno factum est, si Livio c. 44 fidem habemus, Alexamenus certe ante medium autumnum in viam se dedit

h. e. extrema aestate vel primo autumno. Itaque Nabin necavit, quantum equidem auguror, autumno anni 192 a. Chr. n. ac cum illo tempore indutiae iam essent, bellum exeunte aestate vel initio autumni finitum esse videtur.

Praeter titulum supra collaudatum (no. 62) Fraenkel inscriptionem (no. 63 p. 50) ad Nabidis bellum alterum referri vult eamque sic explere conatus est, ut titulus votivus exsisteret, quo Eumenes praedam in Nabidis bello altero captam Iovi et Athenae nicephorae consecravisset. Sed, quia duo lapidis fragmenta sola litteris duodeviginta inscripta ad hunc ipsum diem perduraverunt, supplementa, quamquam acute arguteque sunt excogitata, incertissima sunt, atque moneo, ne titulo sic restituto fides nimia tribuatur. Nam, quod gravissimum est, verba *τῆς δευτέρας στρατείας* in versu ultimo, sunt Fraenkelii coniectura: itaque in dubio ponitur, num titulus ad bellum alterum spectet, ac pro certo id unum affirmare licet verba pertinere ad bellum, quod Eumenes cum Romanis contra Nabin gessit (cfr. v. 4). Eodem igitur iure epigramma ad Nabidis bellum prius referri potest, quod, etiamsi aliam eius inscriptionem votivam iam habemus, a rege poni potuisse quis non concedet? Illa dedicavit praedam Athenae nicephorae, hac Iovi et Athenae nicephorae, ut saepius in titulis Pergamenis invenimus. Res cum ita se habeat, hoc fere modo titulus expleri potest:

ΒΙΑΣ[ΙΛΕΥΣΕΥΜΕΝΗΣ
ΔΙΙΚ[ΑΙΑΘΗΝΑΙΝΙ]Κ[ΗΦΟΡΩΙ
ΑΠ[ΟΤΗΣΜΕΤΑΡ]ΩΜΑ[ΙΩΝ
ΚΑΙΑΧΑΙΩΝΠΡΟΣΝΑ]ΒΙΝΤΟΝ
ΛΑΚΩΝΑΣΤΡΑΤΕΙΑΣ]

Adnotavit autem Fraenkel de Romanis in titulo commemoratis: 'Dass Eumenes in seiner Siegesweihung die Erwähnung seiner römischen Bundesgenossen nicht unterlassen durfte,

versteht sich, obwohl sie nicht tätig in den Krieg eingegriffen haben, sed magna iniuria, cum, ut supra demonstravimus, Romani Nabidi indutias dederint neque proeliis supersedisse videantur.

Quae cum ita sint, malim inscriptioni fidem abrogari, praesertim cum alter titulus sit testis fide dignissimus Eumenem bello cum Nabide anno 192 a. Chr. n. gesto interfuisse.

V.

DE BELLO ANTIOCHINO[1].

A. DE LEGATIS, QUI ANTE BELLUM A ROMANIS ET ANTIOCHO REGE MITTEBANTUR.

Antiochus III. Seleuci Callinici filius, qui Seleuco Cerauno fratri undeviginti annos natus successerat, vere anni 197 a. Chr. n. magna cum classe in Asiam profectus erat, ut civitates regi Ptolemaeo V. Epiphani subiectas, quarum pleraeque sub Philippi regis imperium redactae erant, recuperaret, quippe quae quondam Seleucidarum fuissent ac postea demum a Ptolemaeo III. Euergeta Aegyptiorum regno adiunctae essent[2]. Iam antea Achaeus[3], filius Andromachi, fratris Laodices uxoris Seleuci Callinici, Attali I. regnum, quod usque ad Taurum montem prolatum erat[4], depopulatus antiquis terminis finiverat et civitates complures, quae in potestate Ptolemaei fuerant vel eius sociae, ad Antiochi dicionem traduxerat. Ex quibus aliae ab Attalo vi recuperatae sunt, aliae ad eum defecerunt, cum Achaeus cum Selgensibus bella-

---

1) cfr. Mommsen: l. l. p. 720 sqq.; Hertzberg: l. l. p. 91 sqq.; Ihne: l. l. p. 64 sqq.; M. H. E. Meier: l. l. p. 371 sqq.; Buschmann: l. l. p. 12 sqq.; Ed. Meyer: 'Die Quellen unserer Ueberlieferung über Antiochos des Grossen Römerkrieg' in Mus. Rhen. vol. XXXVI. (1881) p. 120 sqq.; Aander Heyden: Res ab Antiocho III. Magno, Syriae rege, praeclare gestae. Monast. 1877.

2) cfr. Droysen: Geschichte des Hellenismus Gothae 1877 III. 1. p. 346 sqq. Polyb. XVIII. 51. 3 sqq. Liv. XXXIII. 40. 4 sqq., App. Syr. 1.

3) cfr. Polyb. IV. 48 sqq., V. 40 sqq., VIII. 22 sq.

4) cfr. Droysen: l. l. III. 2. p. 122 sqq.; Meier: l. l. p. 359 sqq.

ret, aliae libertatem usurpavisse videntur. Achaeus autem, cum reliquas ad regnum cis Taurum situm coniunxisset, ab Antiocho defecit, sed Antiochus rex, postquam eum superavit et necavit, terras in provinciam redegit. Bello autem cum Ptolemaeo composito expeditionem iam diu excogitatam in Asiam anno 197 a. Chr. n. exsecutus est. Permulta Graecorum oppida vi expugnavit velut Zephyrium, Solos, Aphrodisiadem, Corycum, Selinuntem (cfr. Liv. XXXIII. 20. 4) atque eiusdem anni autumno etiam Ephesum, quae frustra ad resistendum se paraverat. Iam vero cum proximus appetivisset annus, in duas partes exercitum dividere constituit, quarum alteram Smyrnam Lampsacumque oppugnare iussit, alteram ipse in Europam traduxit, ut Chersonesi Thraciaeque urbes imperio suo subiceret.

At Attalus rex, quippe qui longius eum procedere videret, non is erat, qui aequo animo eo usque fines propagari pateretur; namque prima fronte unusquisque Pergamenorum videbat fore, ut regnum in summum periculum adduceretur, si res bene cessisset Antiocho. Itaque, cum ipsorum copiae opesque minores essent, quam ut bona spe hostibus obsisterent etiam foedere coniuncti cum Rhodiis aliisque civitatibus Graecis in eodem periculo versantibus, ad amicitiam societatemque Romanam se applicaverunt, qua freti ab Antiocho felici eventu sese defensuros esse regnum sperabant[1]). Qua opinione motus Attalus, ut regnum tueretur ab Antiocho et Philippo, qui consilia armaque consociaverant ad Ptolemaei regis imperium delendum, cum Romanis societatem coierat eorumque socius fuerat bello Macedonico secundo, quod initium duxerat ex eo bello, quod Attalus, Rhodii aliaeque Graecorum civitates cum Philippo gesserant. Anno autem 198 a. Chr. n. Attali legati Romanos oraverunt, ut adversus Antiochum, qui vacuum praesidiis navalibus terrestribusque

---

1) cfr. Buschmann: l. l. p. 8 sqq., qui, quomodo reges Pergameni in Romanorum venerint societatem, diligentissime explanavit, et Meier: l. l. p. 360 sqq.

regnum Pergamenum invasisset, auxilia mitterent, si regis classi et opera ad Macedonicum bellum uti vellent et, si id nollent, eum ad sua defendenda cum navibus ac reliquis copiis redire paterentur[1]). Quibus commoti Romani legatos miserunt, qui Antiocho dicerent 'gratum eum facturum senatui, si regno Attali abstineret belloque absisteret'.

Illo igitur tempore Antiochus Attalum bello persecuturus erat, sed, ut Aander Heyden: l. l. p. 43 suspicatur, certior factus Scopam Aetolum cum Aegyptiorum exercitu in Iudaeam irrupisse, copias cum e Pergamenorum regno eduxisset, in Coelen Syriam properavit. Equidem maiorem vim tribuo Livi verbis XXXII. 27. 1: eodem anno (a. u. c. 556) legati ab rege Attalo coronam auream ducentum quadraginta sex pondo in Capitolio posuerunt gratiasque senatui egere, quod Antiochus legatorum Romanorum auctoritate motus finibus Attali exercitum deduxisset, ex quibus apparet Antiochum Romanorum voluntati obsecutum belli consilia adversus Attalum omisisse. Accedit, quod Antiochus, cum anno 197 a. Chr. n. conaretur Ptolemaei oppida Asiatica armis sibi quaerere, vitavit, ne agros Pergamenos intraret neu adversus eorum regem hostilia indueret. Minime vero cum Fraenkelio sentio, qui (l. l. p. 46) contendit Eumenem, cum Rhodios adiuvaret conatos Ptolemaei civitatibus sociis auxilium ferre et Antiocho procedenti resistere, victoriam ab Antiocho reportasse ad Harpasum, Cariae flumen. Innixus autem est vir doctus inscriptione no. 58 p. 46, quam sic interpretandam et ad id tempus referendam esse arbitratur. Sed magno errore eum captum esse, cum primum versum expleret ΒΑΣΙΛΕ[ΥΣ ΕΥΜΕΝΗΣ] est manifestum. Nam Rhodios civitates Graecas adversus Antiochum iuvisse accepimus neque vero proditum

---

1) cfr. Liv. XXXII. 8. 9 sqq., Mommsen: l. l. I. p. 722 sqq., Stark: Gaza und die philistaeische Küste. Jen. 1852 p. 402 sqq., Nissen: l. l. p. 134, Buschmann: l. l. p. 12.

est Eumenem tum illorum socium fuisse. Ceteroquin Attalus illo tempore rex Pergamenorum erat, non Eumenes atque is, quia morbo implicatus in Graecia versabatur, cum Antiocho proeliari non potuit [1]). Omnino autem verisimile non est Antiochum a Pergamenorum rege tunc cladem accepisse, quod Asiae oppida expugnare perseveraret. At multo probabilius est victoriam intellegi, quam Attalus I. ex Antiocho Hierace tulit et de qua Eusebius p. 254 haec dicit 'et anno primo CXXXVIII. Olympiadis in Thraciam fugere ab Attalo coactus post proelium in Caria factum moritur' [2]). Fraenkelii autem sententia fieri non posse ut ad illam Attali victoriam titulus revocetur, quia iam magna victoriae monumenta ab Attalo posita ad eandem victoriam spectent, non stare mihi videtur. An tu putas illo epigrammate Attalum Iovi et Athenae nicephorae ex praeda quidquam velut loricas vel thoraces vel simile quid offerre non potuisse? Itaque malim scribere ΒΑΣΙΛΕ[ΥΣΑΤΤΑΛΟΣ] et Attali victoriam in Caria factam intellegendam propono, quam regem ad Harpasum flumen ab Antiocho Hierace reportavisse ex titulo ipso cognoscimus. Neque vero dubito, quin ad eandem victoriam titulus apud Fraenkelium p. 29 no. 28 referendus sit, cuius lacunas sic fere expleri posse credo:

ΒΑΣΙΛΕΥΣΑΤΤΑΛΟΣ]
ΑΠΟΤΗΣΠΑΡΑΤΟΝ]
ΑΡΠΑΣΟΝΕΓΚ]ΑΡΙΑΙ
ΠΡΟΣΑΝΤΙΟΧΟΝΜΑΧΗΣ]
ΑΘΗΝΑΙΝΙΚΗΦΟΡΩΙ]

Sed aberravi longius, ad propositum revertor. Philippo ad Cynoscephalas devicto Antiochus veritus, ne Romani periculo Macedonico liberati se bello persequerentur, si illorum

1) cfr. quae supra diximus p. 14 sq. et p. 22 sqq.

2) cfr. Droysen: l. l. III. 2. p. 16 sqq., Koepp: 'Ueber die Galaterkriege der Attaliden' in Mus. Rhen. vol. XL. (1885) p. 122 et 'Die syrischen Kriege der ersten Ptolemaier' in Mus. Rhen. vol. XXXIX (1884) p. 230, Meier: l. l. p. 359.

socium urgeret, Ptolemaei oppida satis habuit sui iuris facere iisque praesidia imponere. Contra Romani, qui ante Philippum victum providebant, ne Antiocho belli materiam praeberent, adversari ei coeperunt. Iam ante Isthmia anni 196 a. Chr. n. Antiochus Hegesianactem et Lysiam legatos Romam miserat, qui Romae res Asiaticas, ut opinor, expedirent, quia nonnullae Ptolemaei civitates a Philippo expugnatae in dicionem Syriacam venerant. Sed cum senatus ad res Graecas ordinandas decem legatos ad T. Quinctium Flamininum in Graeciam misisset, Syri ad illos Romanos sunt delegati. Quo factum est, ut T. Quinctius Isthmiis actis cum eis de Asiae oppidis disceptaret iisque Romanorum postulata demandaret, quae Polybius XVIII. 47 (Liv. XXXIII. 34) memoriae tradidit. Haud multo post illos dimissos P. Villius, P. Terentius, P. Lentulus profecti sunt ad Antiochum, qui Lysimachiae commorabatur, quam urbem de integro conditurus erat. Atque eodem fere tempore ex Graecia eo advenerunt Hegesianax Lysiasque et P. Cornelius, quem senatus commotus Ptolemaei Epiphanis precibus miserat, ut controversias inter Ptolemaeum et Antiochum de Coele Syria et Cilicia ortas componeret (cfr. Polyb. XVIII. 49 sqq., Liv. XXXIII. 39, Diod. XXVIII, 13, App. Syr. 2 sq.). Plane et aperte ibi a Romanorum legatis prolata sunt, quae ab Antiocho expostulabantur, sed ille tergiversatus se ipsum, quoniam 'sibi cum Ptolemaeo et amicitia esset et id ageret, ut brevi etiam affinitas iungeretur', sine Romanis controversias dirempturum dixit, subiecisse autem in Asia imperio suo oppida, quae quondam maiorum fuissent. Sic nodo non expedito legati domum redierunt, Antiochum autem extemplo ad T. Quinctium misisse, 'qui ad fidem faciendam nihil novaturum regem de societate agerent', Livius XXXIII. 41. 5 enarravit. Quos T. Quinctius ad senatum reiecit, quod nihil absentibus decem legatis sententiae haberet, ut apud Livium XXXIV. 25. 2 scriptum est.

Nihil fere de legationibus accepimus, quae annis 195 et 194 a. Chr. n. ab Antiocho rege et Romanis missae sunt, sed dubium non videtur, quin Romani studuerint pacem servare

et bellum grave periculosumque in aliud tempus differre, cum iam bella iis gerenda essent in Hispania[1]), et in Italia[2]) et cum Nabide tyranno in Graecia. Sed rarae legationes fuisse videntur, quia post legatorum reditum eluxit bellum exarsurum esse, si Romani impigre ac strenue exsequerentur, quae postulaverant.

Dum haec geruntur, Antiochus belli socios sibi conciliare studuit. Anno 193 a. Chr. n. Cleopatram filiam, quam anno 199 a. Chr. n.[3]) Ptolemaeo V. Epiphani desponderat, matrimonio cum illo iunxit (cfr. Euseb. Chron. II. p. 124, Liv. XXXV. 13. 4) et eodem fere tempore Ariarathi, Cappadociae regi, Antiochida filiam in matrimonium dedit (cfr. App. Syr. 4, Diod. XXXI. 19. 7.). Sed minus ei contigit, ut tertiae filiae eum maritum prospiceret, quem volebat. Nisi fallor, anno 194 a. Chr. n. illam condicionem Eumeni detulit pollicitus se ei restituturum esse extemplo civitates, quae defecissent ab Attalo, et spem magnam in posterum amplificandi regni faciens, si secum adversus Romanos bellaret (cfr. Polyb. XXI. 20. 8, Liv. XXXVII. 53. 13, App. Syr. 5). Eumenes autem recusavit splendidum illud coniugium et patefecit se in Romanorum amicitia perseveraturum esse, quam annis antecedentibus maxime coluerat: nam perspexit, quid unum e re publica esset, quamquam non ignorabat se societatis fructum laturum esse et ex Romanis et ex Antiocho, si bello imminente aut Romanorum aut Syrorum victoriae esset adiutor.

Retinuit igitur ea consilia, quae et pater et ipse secutus erat, ex quo regnare coeperat, ac sicuti consueverat, omni tempore exploravit et Romanis renuntiavit, quidquid Antiochus

---

1) cfr. Liv. XXXIII. 43 et XXXIV. 11 sqq., Zonar. IX. 17, Nep. Cato 2, Plut. Cato 2 sqq., App. Hisp. 39 sqq., Oros. IV. 20.

2) cfr. Liv. XXXIII. 43 et XXXIV. 22.

3) cfr. Aander Heyden: l. l. p. 45 adn. 1, qui haud infeliciter contendit contra Mommsenum: l. l. I. p. 723 adn., Sharpium: 'Geschichte Aegyptens' (vers. Germ. Jolowiczii Lips. 1862 I. p. 247), Petrum: Roem. Gesch. Lips. 1872 I. p. 479.

in Asia egit. Atque tametsi traditum non est Eumenem cum Romanorum legatis collocutum esse eosque legationibus de rebus Asiaticis certiores fecisse annis 197/4 a. Chr. n., tamen si hoc reapse factum esse conieceris, a vero non aberrabis. Id vero constat anno 196 a. Chr. n. legatos Smyrnaeos et Lampsacenos T. Quinctium adiisse et cum Romanis in Graecia Antiochi perfidiam conquestos esse (cfr. App. Syr. 2) atque eos cum Romanorum legatis egisse, qui T. Quincti iussu ad Antiochum profecti essent, Polybius XVIII. 52 aperte docet. Eodem autem temporis momento, quo T. Quinctius decemque legati de Graeciae rebus tractabant, etiam prolatae sunt Asiaticae: nam diiudicare opus erat de eis Asiae civitatibus, quibus Philippus rex potitus erat. Ac cum quaestio esset, utrum illae libertatem et immunitatem acciperent necne, Eumenem, cuius regno erant finitimae, per legatos in isto conventu, quae sibi de Antiocho viderentur, qui ex iis alias civitates praesidiis teneret, alias expugnaturus esset, exposuisse per se manifestum est. Non multo post, ut supra monui, Romanorum legati Lysimachiam venerunt, atque Antiochus ipse illis dimissis T. Quinctium legatis temptavit: frustra, nam is ad senatum eos delegavit. Sed apud rerum scriptores nihil legitur ea de re, utrum Romam profecti sint, an domum redierint. [1]) Quamquam coniectura eo ducor, ut eos Romam pervenisse censeam: nam hac ipsa legatione commotus esse videtur senatus, ut brevi post ad Antiochum mitteret legatos, quorum in numero fuisse P. Villium patet ex hisce Livi XXXIV. 33. 12: adiciebat et cum Antiocho infidam pacem Villium legatum inde redeuntem nuntiare; multo maioribus quam ante terrestribus navalibusque copiis in Europam eum transisse. Eodem pertinent, quae inveniuntur l. XXXIV. 59. 8: legatos mitti ad regem eosdem, qui

1) Ihne: l. l. III. p. 72 iudicavit legationem fuisse eandem, quae ineunte anno 193 a. Chr. n. Romae versata sit et de qua Livius XXXIV. 57 sqq. pluribus disputaverit; fere eadem Aander Heyden: l. l. p. 54 arbitratur. Sed illos legatos duos per annos in via fuisse non credo, praesertim cum Livius XXXIII. 41. 4 sq. dicat Antiochum illos legatis Romanis demissis h. e. anno 196 a. Chr. n. ad T. Quinctium misisse.

Lysimachiae apud eum fuerant, placuit, P. Sulpicium P. Villium P. Aelium[1]). Qui a senatu anno 195 a. Chr. n., ut videtur, post illam legationem Syriacam missi sunt ad Antiochum, qui iterum in Europam terrestribus navalibusque copiis transierat, et cum rege Lysimachiae egerunt, quo anno 196 a. Chr. n. P. Villius, P. Lentulus, P. Terentius cum eo convenerant. Quid agitaverint apud Antiochum quamquam non accepimus, tamen de foederis condicionibus tractatum esse colligere licet e Diodori XXVIII. 15 verbis, quibus Romanorum postulata singillatim enumerantur: anno enim 196 a. Chr. n. Polybio XVIII. 50 sq. (cfr. Liv. XXXIII. 39 sq.) teste eadem legatis a senatu delata non esse videntur.

Antiochus autem, postquam hosce legatos infecta re dimisit, Menippum, Hegesianactem, Lysiam[2]) Romam se conferre iussit, qui speciem quidem praeberent amicitiae petendae iungendaeque societatis, cum re vera id solum spectarent, ut senatus voluntatem explorarent, sicuti App. Syr. 6 perspicue dicit: *οἳ τῷ μὲν ἔργῳ τῆς βουλῆς ἀποπειράσειν ἔμελλον, τῷ λόγῳ δ' ὁ Μένιππος ἔφη τὸν βασιλέα περὶ τὴν Ῥωμαίων φιλίαν ἐσπουδακότα καὶ βουλόμενον αὐτοῖς εἶναι καὶ σύμμαχον ἂν ἀξιῶσι κτλ.* Quo consilio cum Romam venissent, quid mirum, quod foedus cum populo Romano non convenit? Romanis autem, cum illi diem ex die ducerent, legatos ad Antiochum mittere placuit eosdem, qui Lysimachiae fuerant, P. Sulpicium, P. Villium, P. Aelium[3]) (cfr. Liv. XXXIII. 59. 8), qui apud An-

---

1) cfr. Nissen: l. l. p. 162. Et P. Villius et P. Sulpicius ex numero decem legatorum erant, qui post bellum Macedonicum in Graeciam missi sunt (cfr. Liv. XXXIII. 24. 7) atque illos, cum anno 195 a. Chr. n. Romae eos adfuisse sciamus (cfr. Weissenborn ad Liv. XXXIII. 44. 5 et XXXIV. 33. 12), eodem anno profectos esse in Asiam statuentes vix errabimus.

2) cfr. Liv. XXXIV. 57. 6; Diod. XXVIII. 15; App. Syr. 6.

3) Idem hic P. Aelius Tubero anno 189 a. Chr. n. in Asiam ad res componendas cum novem aliis legatis missus est. Eo, quem modo laudavi, loco Liviano P. Aelius tertius adiungitur P. Villio et P. Sulpicio: at nihilominus viri docti contendunt eius nomen e contextu verborum esse removendum, quia hoc uno loco commemoretur ac postea sermo tantum sit de P. Villio et P. Sulpicio. Sed illum cum P. Villio et P. Sulpicio ad

tiochum iterum Romanorum postulata agitarent. Re vera autem haec legatio longe alio spectavisse videtur: nam Romani, cum cognovissent bellum cum Antiocho periculosae aleae plenum necessario gerendum esse, omni modo temporis moram quaerebant, ut socios certiores facerent et omnia, quae belli usus posceret, providerent. Itaque P. Villius et P. Sulpicius ad Eumenem se contulerunt, non ut ei persuaderent, ut socius existeret eius, quod imminebat, belli — quid enim opus erat Eumenem incitare, qui per se ipse flagrabat cupiditate bellandi (cfr. Liv. XXXV. 13. 7 sqq.)? — sed ut eum edocerent iamiam bellum contra Antiochum parari: magnopere igitur eum populum Romanum adiuturum esse, si, quae Antiochus ageret quaeque moliretur, celerrime diligentissimeque Romam renuntiaret. Atque lubentissimo animo hunc nuntium accepit Eumenes, qui, sicuti semper fidum Romanae societati se praebuerat inde a bello cum Nabide gesto et paulo ante affinitatem ab Antiocho rege oblatam spreverat, ita tum quoque nihil antiquius habuit, nisi ut Romanos haesitantes paululum et cessantes impelleret, ut ocius arma inferrent Antiocho. Etenim 'quantum auctoritate, quantum consilio valebat, incitabat Romanos ad bellum' (cfr. Liv. XXXV. 13. 10) et cum quantumcunque virium Antiocho decessisset, suo id accessu-

---

Antiochum missum esse non est, cur perfracte negemus, quia minime secum ipse pugnat Livius primum tres enumerans legatos, dein de duobus tantum P. Villio et Sulpicio agens. Livius XXXV. 13. 6 autem narravit 'P. Sulpicium et P. Villium iussos prius Eumenem adire Elaeam venisse' et, cum hoc scriberet, ei in memoriam rediit eosdem ad Antiochum missos esse; quamobrem dixit: eo tempore legati Romani P. Sulpicius et P. Villius, qui ad Antiochum, sicut ante dictum est, missi erant, iussi prius Eumenem adire Elaeam venere. Ubi autem P. Sulpicius ex morbo convaluit, ambo ad Antiochum profecti mandata reliqua exsecuti sunt. Quibus rebus non excluditur tertium legatum P. Aelium in Asiam abiisse. De hoc autem Livius nihil protulisse videtur, quia is recta via ad regem, quem Ephesi esse opinabatur, iter fecit eodem tempore, quo P. Sulpicius et P. Villius Pergamum petiverunt; sed Antiochum ibi non invenit similiter ac paulo post P. Villius. Hic autem, cum pariter atque P. Aelius ignoraret regem tum Epheso discessisse, Pergamo Ephesum tendisse videtur, ut regem conveniret et cum P. Aelio quam celerrime congrederetur.

rum regno duceret, praeparaverat antea iam et instruxerat civitatum legationes, quas, postquam Romanorum legati advenerunt, vocari iussit P. Sulpicius (cfr. Liv. XXXV. 17. 1).

Quae cum ita sint, illud mirari satis non possum, quod Ihne: l. l. III. p. 74 opinatus est P. Sulpicium quasi graviore morbo corruptum Pergami remansisse ad Eumenem custodiendum. Quae suspicio unde orta esset, iam Buschmann (p. 14 adn. 2) non assequebatur; equidem libere confiteor Ihneum omnino non perspexisse, qualis tunc Pergami fuerit rerum status. Nam tum Eumenem regem Romanis suspectum esse coepisse nec traditum est nec per se probabile. Eo autem tempore, quo P. Sulpicius lecto affixus Pergami iacebat, qui reliquus erat e legatorum numero P. Villius Ephesum se contulit, ubi convenit Hannibalem, qui Antiochi regis hospitio utebatur, et inde ad mandata peragenda Apameam, quo haud multo post Antiochus quoque venit occupatus tunc Pisidico bello. Sed quominus ibi persequerentur colloquia de foederis condicionibus, impediebantur ea re, quod subita morte Antiochi filius correptus est. Itaque P. Villius 'ne alieno tempore incommodus obversaretur' Pergamum rediit, ubi P. Sulpicium recreatum iam ex morbo reperit. Cum vero Antiochus exiguo temporis spatio intermisso Ephesum venisset, ambo eo profecti sunt, ferebant senatus condiciones, audiebant regis: at id, quod pertimescendum erat, cum diu multa agitassent, foedus non convenit, et ita ex eo concilio discesserunt legati, ut plane non dubitarent, quin bellum brevi tempore gereretur. Vix autem Romam redierant, quod Livio teste factum est, priusquam L. Quinctius Flamininus et Cn. Domitius Ahenobarbus consules anni a. u. c. 562 in provincias profecti sunt, cum Eumenis frater Attalus Romam advolavit nuntium allaturus 'Antiochum regem Hellespontum cum exercitu transisse, et Aetolos ita se parare, ut sub adventum eius in armis essent' (cfr. Liv. XXXV. 23. 10).

Existit autem hic quaestio subdifficilis, quo modo sint accipienda, quae Attalus ad senatum detulit. Quamquam id quidem clara in luce positum est, quorsum spectent, quae de

Aetolis ille nuntiavit: nimirum decreverant Aetoli indignabundi, quod bello Macedonico inanem susceperant laborem nec ullum acceperant praemium, deficere a Romanis ingratis et transire in adversariorum castra. Itaque, qui antea a Romanorum partibus steterant, iam id enixe agebant, ut omnes, quos inimicos esse sciebant Romanis, ad Romanum bellum incitarent. Legatos igitur mittere placuit Damocritum ad Nabim, Nicandrum ad Philippum, Dicaearchum, Thoantis praetoris fratrem, ad Antiochum. [1]) Quorum e numero Dicaearcho mandaverunt, ut Antiochum moneret, ne felicissimam praetermitteret occasionem invadendi in Graeciam: etenim Romanorum exercitum non esse in Graecia et Aetolorum, Philippi, Nabidisque copias paratas esse ad pugnandum cum acerbissimis hostibus. At non ilico Antiochus precibus eorum obsecutus est; ut igitur haberent, quo eum ad bellum stimularent, Demetriadem et Chalcidem oppugnare constituerunt et Thoantem ipsum ad Antiochum miserunt rati eum, qua esset auctoritate, plus profecturum esse Dicaearcho. Quae prior Thoantis legatio anterior esse debet ineunte vere anni 192 a. Chr. n. propterea, quod ille ex Asia iam redierat, quo tempore T. Quinctius Flamininus extremo vere vel aestatis initio cum Atheniensibus Aetolorum concilio interfuit [2]), neque ante autumnum anni 193 a. Chr. n., quo Thoas praetura se abdicavit. Ceterum ne ei quidem ex sententia res evenisse videtur aeque ac Dicaearcho, de cuius legatione Livius XXXV. 12. 18 haec habet: et reges tamen aut non moti aut tardius moti sunt. De his igitur Aetolorum consiliis et rationibus Attalus senatum certiorem fecit: etenim maximam habet verisimilitatis speciem regis fratrem non solum Dicaearchi sed etiam Thoantis priorem legationem novisse.

Iam vero eo producta res est, ut de reliquis Livi verbis inquiramus, quibus Antiochum regem Hellespontum cum exer-

---

1) cfr. Liv. XXXV. 12 sqq., Zonar. IX. 18.

2) cfr. Liv. XXXV. 31, App. Syr. 12; cfr. Weissenborn: ad Liv. XXXV. 32. 2.

citu transiisse exposuit. Quae vulgo ita intelleguntur a viris doctis (cfr. Meier: l. l. p. 372, Ihne: l. l. p. 96, Buschmann: l. l. p. 14), ut Antiochus eo tempore in ipsam Graeciam transgressum esse autument. At praepostere illi quidem iudicaverunt: nam Attalus iam exeunte vere vel prima aestate anni 192 a. Chr. n. Romam venit et Antiochus autumno demum eiusdem anni, postquam Thoas iterum missus ab Aetolis eum edocuit Demetriadem ab Aetolis occupatam esse, consilium cepit in Graeciam copias traiciendi (cfr. Liv. XXXV. 42, App. Syr. 12). Qui igitur fieri potuit, ut Attalus compluribus iam mensibus ante talis cuiusdam rumoris Romae auctor esset? Quonam autem revera Attali ille nuntius referendus sit, pro certo contendere non ausim idque Livio crimini dandum, qui ne uno quidem verbo nobiscum communicavit ea, quae Antiochus egit inde a vero anni 193 usque ad autumnum 192 a. Chr. n., quo tempore eum Smyrnam, Alexandriam Troadem, Lampsacum oppugnavisse refert. Si vero in tanta rerum obscuritate ad coniecturam refugere licet, equidem id verisimillimum duxerim Antiochum vere anni 192 a. Chr. n. in Thraciam iterum esse profectum atque ad hanc expeditionem Attali nuntium revocandum esse. Fieri etiam potuit, ut Antiochus, cum exercitum in Thraciam traducere animo intendisset, copias ex castris hibernis contraheret, quod suspicionem movit Eumenis, qui arbitratus illum exercitum in Europam ducturum esse Romanos de his rebus certiores fecit. Neque vero illos ignoravisse Eumenem sibi officium praestitisse non leve quispiam facile coniecerit vel inde, quod et Eumenem et Attalum praemiis et honoribus amplissimis donaverunt (cfr. Liv. XXXV. 23. 11).

B. DE REBUS AB EUMENE REGE IN GRAECIA GESTIS.

Dum Attalus frater Romam petit, Eumenes bello, quod cum Nabide gerebatur, interfuit, ut supra est dictum, et indutiis tyranno datis remansit in Graecia, ut mea fert opinio, cum omnibus navibus copiisque ad tuendos socios. Hic enim, non in Asia, Romanos bellum cum Antiocho gerere voluisse e belli apparatu satis apparet et inde elucet, quod in Graecia opperti sunt Antiochi regis adventum. Atque tunc Eumenem Romanis eorumque sociis in Graecia maximo usui fuisse hoc capite uberius disputabimus.

Ut iam supra leviter attigimus, Diocli, qui ab Aetolis Demetriadem missus erat, contigit, ut in urbis possessionem involaret, sed ab omni fortuna derelinquebatur Thoas, qui Chalcidem capere iussus erat. Nam cum ex improviso non posset opprimere Chalcidenses, quia Micythio et Xenoclides, principes factionis Romanae, certiores facti urbis defensionem providerant, infecta re cum Aetolis domum redire coactus est facultate non data tam exiguis copiis Chalcidis expugnandae. Quibus auditis T. Quinctium a Corintho venientem in Chalcidico Euripo Eumeni regi occurrisse Livius XXXV. 39. 1 narravit [1]). Quibus verbis confirmatur Eumenem ad Chalcidem naves antea tenuisse [2]), quam Romani advenerunt, cum T. Quinctio a meridie in Euripum invecto occurreret. Sed cum regem, ut supra demonstravimus, iam verno

1) cfr. quae diximus p. 50 sq.

2) Quod autem Livius nihil profert hoc loco de Eumene rege, excusationis aliquid habet ea in re, quod eum non semper sociorum fecisse mentionem haud ignoramus, velut in Nabidis bello altero, ut supra p. 58 explicavimus. Fortasse etiam afferri potest, quod ille Polybii narrationem amputans haec silentio praeteriit, quia, ut ipse l. XXXV. 40. 1 dicit, eum abstulere velut de spatio Graeciae res immixtae Romanis.

tempore in Graeciam navigasse sciamus, multo clarius tota res illustratur, quia colligendum est regem, quoniam illic est commoratus, priusquam T. Quinctius navibus ad Chalcidem accederet, iam eo tempore ibi adfuisse, quo Aetoli urbem occupare sunt conati. Iuvisse autem Eumenem eos, qui Romanorum erant, facile est ad perspiciendum eamque ob causam Chalcidenses cavisse credo, ne ad Aetolos transirent. Sic etiam plane intellegitur Chalcidensium responsum, quod Livius exhibet l. XXXV. 38. 10: se vero negare Chalcidenses aut servire ulli aut praesidio cuiusquam egere: nam iis praesidio erant praeter auxilia Eretriensium et Carystiorum naves Pergamenae. Quibus de causis nihil habet offensionis Thoantis Aetolorumque discessus: nam illi, qui spem omnem, ut Livi ipsius verbis utar, in eo, ut improviso opprimerent, habuerant, ad iustum bellum oppugnationemque urbis mari ac terra munitae haudquaquam pares domum rediere.

Post T. Quincti adventum ab Eumene quingentos milites ad urbem defendendam ab Aetolis Chalcide relinqui et regem ipsum, cum T. Quinctius Demetriadem tenderet ad urbem reconciliandam, Athenas ire placuit. Qua re confirmatur Eumenem enixe operam dedisse, ut singulas Graecorum civitates in societate Romana coerceret. Ex Livi enim verbis c. 50. 4 est manifestum Athenis homines Romanis infestissimos id studuisse, ut populum ad vetustam societatem Aetolicam [1]) reducerent. Tum quidam multitudinem spe largitionum venalem pretio ad Antiochum trahere conati sunt neque multum afuit, quin seditio commoveretur et Piraeus in illorum manus incideret. Quibus cognitis T. Quinctius, cum ipse Chalcidem profectus Demetriadem peteret, Eumenem Athenas misit, ut animos sedaret et Piraeum navibus suis teneret. Quae ex sententia regis successisse videntur, nam inter omnes constat T. Quinctium postea ab iis accitum, qui a Romanorum partibus starent, perfecisse, ut suae partis Athenienses victoria

1) cfr. Ihne: l. l. III. p. 93 sqq.; Hertzberg: l. l. I. p. 119 sqq.; Liv. XXXV. 32. 7, XXXVII. 6. 4, XXXVIII. 9. 3.

uterentur et accusante Leonte quodam Appollodorus auctor defectionis damnatus in exilium eiceretur (cfr. Liv. XXXV. 50. 4).

Eiusdem anni autumno (cfr. Liv. XXXV. 41. 1. et c. 44 3 sqq.) [1]) Antiochus rex classem appulit ad Pteleum, unde Demetriadis in portum navigavit. Atque postquam Lamiae Aetolorum concilio interfuit, cum mille militibus paucisque Aetolis Chalcidem profectus est, ut primum urbem frustra ab Aetolis nuper temptatam aggrederetur. Ad Salganea cum Euripum traiecisset, cum Chalcidensibus congressus est, sed iis negantibus se urbem regi tradere foedusque ferire, quia ne societatem quidem ullam pangere sibi liceret nisi ex Romanorum auctoritate, Demetriadem copias reduxit (cfr. Liv. XXXV. 46 sq.).

Haud ita multo post Aegii concilium Achaicum est habitum, in quo Achaei id, quod Antiochi Aetolorumque legati efflagitaverant, non solum non acceperunt, verum etiam illis bellum denuntiaverunt ac veriti, ne Antiochus iterum cum copiis suis in Chalcidem impetum faceret, extemplo quingentos milites eo miserunt et quingentos Athenas, qui Piraeum portum defenderent. Eodem autem tempore modicum auxilium ab Eumene Chalcidem missum esse Livius XXXV. 50. 6 sqq. narravit. Atque cum in Piraeo illius naves tum in statione haberentur et Athenas quingenti Achaei mitterentur, reapse fieri potuit, ut rex cum parte copiarum Chalcidensibus subsidio veniret. [2])

Quae auxilia, quamquam Antiochus certior factus Menippum et Polyxenidan praemiserat paucisque diebus post ipse sex milia militum et Aetolos non ita multos eduxerat, Xenoclide duce Chalcidem pervenerunt. Neque vero fortuna pro-

1) Phaeneas, qui inde ab autumno anni 192 praeturae munere fungebatur, tum Aetolorum praetor erat (cfr. Liv. XXXV. 44 sq.).

2) Verisimillimum est Eumenem cum T. Quinctio Aegii in Achaeorum conventu praesto adfuisse et ad Romanorum voluntatem illa auxilia Chalcidem misisse.

spera usi sunt quingenti Romani, quos T. Quinctius Chalcidem dimiserat nimirum e classe Romana, quae, ut supra exposuimus, aliquanto ante Nabidis bellum compositum A. Atilio praetore in Graeciam appulsa erat.

Qui milites haudquaquam e Romanorum exercitu detracti sunt, ut viri docti contenderunt: nam 'interim, dum novi magistratus', ait Livius XXXV. 24. 7 'sortirentur provincias, M. Baebius a Brundisio cum omnibus copiis transire in Epirum est iussus et circa Apolloniam copias continere'; quapropter non est credibile eum illos quingentos emisisse, praesertim cum tam parvae copiae ab Apollonia per medias Graeciae terras, quae erant Romanis infestissimae, ad Chalcidem progredi non possent. Huc accedit, quod Menippus, cui erat mandatum, ut exciperet Achaeorum et Eumenis auxilia, quae a meridie venisse consentaneum est, illos Romanos ad Delium inopinantes aggressus ferme omnes delevit. Neque vero dubito, quin T. Quinctius Micythionis permotus precibus, qui a Chalcidensibus missus erat ad id ipsum praesidium petendum (cfr. Liv. c. 50. 10), quingentos illos Romanos ad Chalcidem ire iusserit. Res cum ita se habeant, nequeo astipulari Ihneo, qui l. l. III p. 93 adn. 4 arbitratur verisimile tantum esse illos e militibus classicis esse detractos. Sed omnino id solum fieri potuisse quis non concedit?

Quibus Romanis ad Delium occisis Chalcidenses praeter suos et Eretriensium et Carystiorum milites, si illi usque ad id tempus in urbe remanserant, quod non satis constare mihi videtur, habebant ad mille et trecentos milites Pergamenos et Achaicos, quorum ad numerum sunt adiciendi perpauci Romani, qui cladem ad Delium acceptam effugerant (cfr. Liv. c. 51. 4).[1]) Hos autem paucos ingenti Antiochi exercitui resistere non posse brevi tempore apparuit. Vix enim rex ad Aulidem exercitum admoverat, cum Chalcidenses ei urbem

1) Erant autem quingenti Achaei et septingenti vel octingenti Pergameni. Ihne, qui censuit quingentos fuisse Pergamenos, haud dubie non recte intellexit Livi verba c. 39 et c. 50 (cfr. Buschmann: l. l. p. 15).

tradiderunt. Micythio autem et Xenoclides cum iis, qui Romanae erant partis, sub Antiochi adventum urbe excesserunt. Eumenis vero et Achaeorum milites Salganea[1]) tenebant, nimirum ut impedirent, quominus Antiochus Chalcidem oppugnaret, et perpauci milites Romani in Euripo[2]) communiebant castellum custodiae causa loci, ut ait Livius c. 51. 7. Sed Menippi tribus ferme milibus militum Pergameni et Achaei longum per tempus resistere plane non potuerunt, adverso autem Marte pugnavisse non videntur, cum ex convento iis sine fraude liceret abire. Neque Romani impetum sex milium Syrorum sustinuerunt: nam eos Euripum pertinacius tutatos, cum terra marique obsiderentur et iam machinas tormentaque adportari viderent, obsidionem non tulisse Livius c. 51. 8 sq. enarravit. Sed quid ex iis factum sit, memoriae non est proditum[3]). Sic accidit, ut Antiochus Chalcide potitus est et simul tota Euboea, ex qua insula postea Romanis eorumque sociis bellum intulit.

Atque id quidem omni caret probabilitate Eumenem interfuisse iis rebus, quae ineunte hieme gestae sunt; immo mihi quidem dubium non est, quin etiam tum Athenis apud T. Quinctium moratus in insula Aegina hiemaverit.

Cum autem hiems praeteriisset, M'. Acilius Glabrio consul in Graeciam transgressus ad Thermopylas splendidissimam victoriam ab Antiocho reportavit, qua Antiochus commotus est, ut magnis itineribus ad suum regnum tutandum Asiam peteret et quos e Graecorum numero socios habuerat derelinqueret et Romanorum obiceret libidini.

Quaerentibus autem nobis, utrum Eumenes eo temporis

---

1) cfr. Strab. IX. 2. 2. p. 400, et 2. 9. p. 403.

2) cfr. Strab. X. 1. 8. p. 447 et Weissenborn ad Liv. XXXV. 51. 7.

3) Romanorum militum virtutem hic Livium praedicasse plus iusto nemo negabit. Quorum numerus erat perparvus: nam Livius c. 51. 4 his ipsis verbis utitur: 'perpauci effugerunt' et App. Syr. 12: *τοὺς μὲν αὐτῶν ἔκτεινε τοὺς δ' ἐζώγρησεν;* ac tamen dicit c. 51. 8: pertinacius Romani Euripum tuebantur e. q. s. An mavis credere illorum numerum in Euripo maiorem fuisse et plures quam Livius prodidit caedem effugisse?

momento Romanos adiuverit necne, unicus adhuc testis respiciendus erat T. Livius, qui l. XXXVI. 42 Eumenem post proelium commissum in insula Aegina fuisse refert, ita ut in promptu sit suspicio eum victoriae participem et adiutorem non fuisse. At nunc firmius fundamentum, quo nixi rem decernamus, substructum est: titulum dico apud Fraenkelium no. 62 p. 49 sq. Id enim ex eo discimus Eumenis milites praedam in Graecia bello Antiochino partam Athenae nicephorae consecravisse, unde efficitur, si non regem ipsum, attamen eius milites opem tulisse Romanis in Graecia belligerantibus. Quapropter illos socios exstitisse victoriae ad Thermopylas reportatae ultra probabilitatem non progreditur: nam id latet, quanam alia occasione data praedam milites Pergameni capere potuerint, cum, si omittitur clades illa Chalcidensis, non videatur alterum proelium esse commissum et constet classem Pergamenam paulo post in Asiam remissam esse. Nam Eumenem, etsi ipse Aeginae diu se tenebat incertus consilii, utrum in Asiam rediret ad regnum suum defendendum ab impetu Antiochi, quem Ephesi navales terrestresque parare copias audiebat, an nusquam abscederet a Romanis, ex quorum fortuna sua penderet (Liv. XXXVI. 42. 6), et id optimum esse duxit remanere ipsum in Graecia ratus fratres, quibus regni curam delegaverat, Antiochi impetum reiecturos esse, tamen remisisse in Asiam tribus exceptis omnes naves Attalo fratre duce pro certo habuerim. Nam cum C. Livius Salinator, Romanorum praetor, cum quinquaginta navibus tectis et sex Punicis aliisque a Reginis Locrisque et eiusdem iuris sociis exactis ex Italia ad Piraeum portum, in quo A. Atilius, qui priore anno praeturam gesserat, naves ad ancoras deligaverat, appropinquaret, usque ad Scyllaeum Eumenes ei cum tribus navibus obviam est vectus; reliquae autem naves illo tempore iam Elaeae erant (cfr. Liv. XXXVI. 43. 12) [1]).

---

1) Eumenis naves non comprehenduntur numero unius et octoginta constratarum navium et multarum praeterea minorum, quae aut apertae

Postea Eumenes ipse cum C. Livio Phocaeam in Asiam vectus et inde Elaeam profectus cum quattuor et viginti navibus tectis, apertis pluribus paulo Phocaeam ad praetorem revertit, ut expeditionibus maritimis interesset.

C. DE EXPEDITIONIBUS AB ANTIOCHO ET SELEUCO IN EUMENIS REGNUM FACTIS.

Seleucus, Antiochi regis filius, qui in Aeolide anno 191/90 a. Chr. n. hibernaverat, postquam Eumenem omnibus navibus coactis una cum Rhodiorum et Romanorum classi L. Aemilio Regillo praetore Lyciam ad Patara aggredienda petivisse certior factus est, non praetermittendam esse ratus opportunam hanc occasionem, invasit in Pergamenorum fines, ut, cum rex ipse plurimaeque copiae abessent, facili negotio agros devastaret[1]). Atque primum quidem Elaeam expugnare constituit, sed cum res male cessisset — primo enim impetu urbem capere non potuit — agros Elaitarum depopulatus eo usque audaciae progressus est, ut Pergamum urbem ipsam oppugnaret. Quod cum Attalus, qui regis absentis munia obibat, comperisset, magnopere perterritus stationibus ante urbem positis et excursionibus in hostes factis Seleucum a capite arceque regni arcere studuit; frustra: nam cum minus multitudine militum pro hostium numero valeret, copias Per-

---

rostratae aut sine rostris speculatoriae erant (cfr. Liv. XXXVI. 42. 8): nam erant C. Livi quinquaginta tectae et sex Punicae et aliae Reginorum, Locrorum aliorumque sociorum et A. Atili naves quinque et viginti tectae. Livius c. 43. 13 numerum navium omnium exhibet centum quinque naves tectas, apertas ferme quinquaginta: unde patet Phocaeae demum naves Pergamenas cum Romanis se coniunxisse (cfr. App. Syr. 22).

1) cfr. Polyb. XXI. 10, Liv. XXXVII. 18 sqq., Appian. Syr. 26.

gamum reducere coactus est, quam Seleucus operibus munitionibusque saepsit omnique privavit commeatu. Atque ut eo plus negotii haberent Pergameni, eodem fere tempore Antiochus exercitu ab Apamea abducto ad Sardes progressus haud procul a Seleuci castris ad Caici fluminis caput[1]) castra collocavit (cfr. Liv. c. 18. 6). Stativa igitur habebat a Pergamo sub solis ortum sita atque ex his quattuor milia Gallograecorum militum admixtis paucis aliis ad agros Pergamenos passim depopulandos emisit. In tanta igitur rerum iniquitate cum in summum periculum et discrimen urbis salus vocata erat, Attalus Eumenem fratrem auxilio arcessivit. Qui vix in insula Samo, quo ex Lycia reversus pervenerat, tristem illum acceperat nuntium, cum, ut defenderet patrium regnum Attalumque fratrem obsidione liberaret, Elaeam tota classe contendit. Hinc ipse cum equitum peditumque expeditorum praesidio Pergamum venire properavit et contra omnium exspectationem ei contigit, ut hostium agmina perrumperet, animum suis redderet, urbem praesidio firmaret. Dein levioribus proeliis Seleucum lacessebat et omni modo oppidum retinere et defendere studebat, quoad Romanorum et Rhodiorum classes Elaeae in portum inveherentur. Neque eius spes ad irritum cecidit: nam paucis diebus post Elaeam advenerunt socii et copias eduxerunt e navibus, ut Eumeni laboranti auxilium ferrent.

Iam vero Antiocho, quippe quem bellum periculosissimum imminere haud fugeret, commodissimum visum est, priusquam Romanorum exercitus, quem iamiam Hellespontum transgressurum esse compererat, in Asiam veniret atque una cum navibus se urgeret, pacis condiciones postulare. Itaque exercitu Elaeam admoto castrisque in tumulo quodam adversus Elaeam sito positis, ad L. Aemilium Regillum misit, qui nuntiarent colloqui se velle de pace cum Romanorum praetore (cfr. Polyb. XXI. 10, Liv. XXXVIII. 18 sq.). Atque cum L. Aemilius ipse dubius haereret, quidnam faciendum esset,

1) De Caici fluminis capite cfr. Strab. XIII. 1. 70. p. 616.

consilium habuit advocato Elaeam Eumene et adhibitis Eudemo et Pamphilida Rhodiis, ut sciscitaretur, quaenam eorum de pace Antiocho regi danda sententia esset. Illo in concilio Rhodii quidem fessi belli laboribus, ut postularet ab Antiocho pacis leges, suasere, at Eumenes omni ope atque opera enixus, ne pacem L. Aemilius componeret, duplicem maxime praetendit causam. Ex altera enim parte honestum non esse, si moenibus inclusi obsessique pacis condiciones quasi subeuntes ab armis discederent, ex altera vero L. Aemilium impediri, quominus exitum rei imponeret. Namque sine consule non posse eum cum Antiocho iuste ac legitime pacisci atque etiam si quid annuente illo inter se pepigissent, necessario senatum populumque Romanum pacis auctores fieri debere, antequam naves exercitusque Asiam relinquerent. Priusquam igitur horum responsum accepissent, exercitus in Asia rursus in hibernis collocandos atque amplius commeatum ab indignabundis sociis conquirendum esse. Ut vero patres pacem iniussu populi Romani factam repudiarent, nil relinqui, nisi ut iterum bellum susciperent, idque multo afflictiore usi condicione: etenim nunc quidem bellum quasi uno ictu perfacile ante hiemem transigi posse, ineunte autem vere Antiochum viribus recentibus ad bellum profecturum esse recreatum. Quae cum Aemilius non inepte dicta putasset, Antiochi legatis respondit ante consulis adventum de pacis legibus tractare sese non posse.

Atque ita haud dubie Eumeni laudi dandum, quod Aemilium eo usque ignaviae progredi prohibuit, ut de pace cum Antiocho colloqueretur. Quanto vero dignior videtur, qui laudibus summis efferatur, nobis considerantibus, qua iniqua condicione usus rex tam fortem sese praestiterit! Namque id in propatulo est summam utilitatem ex pace composita capturum fuisse eum, cuius terrae a duobus hostium exercitibus occupatae diripiebantur et pervastabantur, cuius regni caput a Seleuco obsidione premebatur. Quod periculum quantum illo tempore fuerit, Polybius XXI. 20. 9 sq. eum ipsum dicentem facit Romae apud senatum uno fere anno post hisce verbis;

πλείστας δὲ χορηγίας συμβεβλήμεθα πρὸς τὰς ὑμετέρας χρείας ἐν τοῖς ἀναγκαιοτάτοις καιροῖς, εἰς πάντας δὲ τοὺς κινδύνους δεδώκαμεν αὐτοὺς ἀπροφασίστως μετά γε τῶν ὑμετέρων ἡγεμόνων· τὸ δὲ τελευταῖον ὑπεμείναμεν συγκλεισθέντες εἰς αὐτὸν τὸν Πέργαμον πολιορκεῖσθαι καὶ κινδυνεύειν ἅμα περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς ἀρχῆς διὰ τὴν πρὸς τὸν ὑμέτερον δῆμον εὔνοιαν (cfr. Liv. XXXVII. 53. 15 sq.). Iam si Aemilium impulisset, ut colloquium de pace acciperet — namque id illum facile impetraturum fuisse crediderim Rhodiis haud abnuentibus — et indutiae cum Seleucidis factae essent, quasi uno ictu omni periculo liberatus esset. Neque tamen commodis ipsius utilitatique praesenti servivit, sed omnium saluti in longum consulens et ea, quae eventura essent, prospiciens commodissimum esse censuit persistere in bello. Neque enim dubitabat, quin Romani victores e bello discessuri essent, simulque arbitrabatur eos victoria ita usuros esse, ut Antiochi regnum antiquis terminis coercerent et quae detraxissent, maxima ex parte suo ipsius imperio adderent, quod oppresso audaci illo et praepotente adversario tandem aliquando spes erat libere eos esse respiraturos. Itaque cum tot tantaque commoda ante oculos versarentur, non recusavit, quin patienter ferret praesentia mala: nam Antiochus in Pergamenorum finibus exercitum retinuit et Seleucus Pergamum oppugnare perseveravit.

Atque confestim Antiochus ipse Elaitarum et Pergamenorum agros depopulatus Adramytteum profectus est, ut diriperet opulentum illum, qui vulgo Thebes audit, campum (cfr. Liv. XXXVII. 19. 7) [1]. Cum vero haud ita multo post Aemilius et Eumenes, ut laboranti urbi opem ferrent ad Adramytteum [2]

---

1) cfr. Strab. XIII. 1. 63 p. 612 et c. 1. 70 p. 616, Weissenborn ad Liv. XXXVII. 19. 7.

2) Adramytteum illo tempore Eumenis regis fuisse e verbis Strabonis XIII. 4. 2 p. 624 (cfr. quae diximus p. 31 sqq.) colligendum esse contendo neque assentior Weissenbornio, qui ad Liv. c. 19. 8 haec dicit: „die Stadt scheint bereits auf der Seite der Römer zu stehen.“

naves appulissent, impediverunt, quominus Antiochus urbem expugnaret[1]). Nam Antiochus, ubi primum eos prope accessisse audivit, ab incepto destitit et pervastatis agris Peraeam, Mytilenaeorum coloniam, expugnavit, dein 'Cotton', ut Livi ipsius verbis utar (c. 21. 5), 'et Corylenus et Aphrodisias et Prinne primo impetu captae sunt; inde per Thyatiram Sardis rediit'.

Quorum oppidorum Cotton, Corylenus, Aphrodisias, Prinne non occurrunt apud veteres auctores, nisi hoc uno Livi loco, ex quo id efficitur illa sita fuisse inter Adramytteum et Thyatiram. Iam vero nos intentis oculis perlustrantes hanc ipsam regionem in optimis, quae praesto sunt, tabulis, non potest fugere maximam intercedere similitudinem inter eas, quae Livi codicibus exhibentur, nominum formas et alias quasdam, quae aliunde notae sunt, ut suspicio commoveatur librariorum stultitia oppidorum vocabula vitia traxisse.

Atque primum quidem statuam Cottonem esse Certonium vel Certonum, quod oppidum, ut videtur, a Pergamo ad septemtrionem versus inter Adramytteum et Thyatiram iacebat[2]). Scriptum autem fuisse puto apud Polybium '*Κερτώνιον*' (vel *Κερτωνός*), quod librarii cuiusdam inscientia abiit in 'Cottonium' (Cottonum), unde cum compendium adhiberetur, Cotton natum est.

Deinde, quod attinet ad 'Corylenus', id unum exploratum habeo non significari illa vocula urbem ipsam, sed incolam oppidi cuiusdam, cui nescio an nomen fuerit Corylaeoni. Ultra

---

1) Mommsen: l. l. I. p. 734 ita loquitur „die römische Flotte ging nach Elaea und dem Hafen von Adramyttion um den Bundesgenossen zu helfen; allein da es dem Admiral an Truppen fehlte, richtete er nichts aus.“ Quae haud satis recte videntur esse prolata, cum Romanorum et Eumenis expeditio fuerit non irrita. Nam Antiochus illorum adventu permotus ab Adramytteo discessit et in interiores terrae partes se recepit (cfr. Liv. XXXVII. 21. 4).

2) cfr. H. Kiepert: Neuer Atlas von Hellas und den hellenischen Colonien in XV Blättern Berol. 1879, tab. IX.

vero non licet pedem proferre: nam aliunde de tali quadam urbe nihil comperimus.

Quae tertio loco commemoratur Aphrodisias, etsi non ipsa alias recurrit, tamen quaerenda haud dubie est in ea regione, quam 'Aphrodisias' Plinius V. 30 (122) appellat.

Restat Prinne: quam vocem vulgo ab editoribus in contextum receptam mendo esse inquinatam persuasum mihi est. Etenim valde fluctuant in hac forma libri manuscripti: cod B enim habet 'prinnae', reliqui (ς) 'prinae', 'prine', 'prime' excepto codice M, qui 'crene' exhibet.[1]) Iam vero me quidem iudice quam optimus in rebus orthographicis praebet lectionem cod. B 'prinnae' necesse est tenere indeque proficisci in genuina forma restituenda. Hinc autem egressi eo pervenimus, ut Livium scripsisse opinemur 'Perperine'. Laudatur hoc oppidum a Galeno *περὶ εὐχυμίας* c. 11 (ed. Kuehn. tom. VI. p. 800) et a Stephano Byzantio s. v. *Παρπάρων*, quamquam hic quoque depravata legitur forma. Idem etiam Parparon vocabatur et, quod usitatius est, Perperene, veluti apud Suidam s. v. *'Ελλάνικος'*, Plinium nat. hist. V. 30 (122), Strabonem XIII. 1. 51 p. 607, neque dubium, quin eandem urbem Claudius Ptolemaeus (ed. Nobbe Lips. 1881 V. 2. 16) sub nomine *Περπέρη* (*ἢ Περμέρη*) intellexerit. In nummis non occurrit alia forma nisi Perperene exempli gratia ΠΕΡΠΕΡΗΝΩΝ vel ΠΕΡΠΕΡΗΝΙΩΝ vel ΠΕΡΠΕΡΗ (cfr. Eckhel: l. l. II. p. 474 sq., Head: l. l. p. 464). Stephanus Byzantius Perperinen nuncupat *χωρίον ἐν Ἀσίᾳ Αἰολικόν* et Galenus *θεραπευτικῆς μεθόδου βιβλ.* XII. c. 4 (tom. X. p. 833) *δμορον τῇ Περγάμῳ* et Suidas illam sitam fuisse e regione Lesbi insulae tradidit. Accuratius autem quo loco sita fuerit, definivit Strabo hisce verbis: *εἶτ' Ἄστυρα, κώμη καὶ ἄλσος τῆς Ἀστυρηνῆς Ἀρτέμιδος ἅγιον. πλησίον δ' εὐθὺς τὸ Ἀδραμύττιον, Ἀθηναίων ἄποικος πόλις, ἔχουσα καὶ λιμένα καὶ ναύσταθμον. ἔξω δὲ τοῦ κόλπου καὶ τῆς Πυῤῥᾶς ἄκρας ἥ τε Κισθήνη ἐστὶ πόλις ἔρημος, ἔχουσα λι-*

1) cfr. quae dicta sunt in editione Hertziana vol. III. p. VI et p. XXXXVI.

μένα. ὑπὲρ αὐτῆς ἐν τῇ μεσογαίᾳ τό τε τοῦ χαλκοῦ μέταλλον καὶ Περπερήνα καὶ Τράριον καὶ ἄλλαι τοιαῦται κατοικίαι. Quae cum ita se habeant, spero te mecum scripturum esse pro 'Prinnae' Perperine vel Perperene.

Verum ut eo, unde digressi sumus, tandem aliquando revertamur, Antiochus, postquam illa Pergamenorum oppida in dicionem suam redegit, per Thyatiram Sardes rediit ac brevi post ab Adramytteo Romani, Pergameni, Rhodii Elaeam navigaverunt.

Dum haec geruntur, L. Aemilio et Eumene absentibus ad Pergamum acerrime pugnabatur [1]). Ut supra quasi in transitu meminimus, Pergamum in obsidione continua tenuit Seleucus, quae urbs ab Attalo, Eumenis regis fratre, defendebatur. Illo autem tempore Achaeorum mille pedites et centum equites Diophane duce Elaeam venerunt [2]). Miserat enim Eumenes legatos ad Achaeos (cfr. Polyb. XXI. 9), qui de armorum societate cum illis agerent, atque placuerat illis Diophanem cum mille peditibus et centum equitibus Eumeni succurrere, quocum artissimis vinculis coniuncti erant. Si vero quaesiveris, cuinam tempori illa legatio assignanda sit, sat angustis finibus eam circumscribere non admodum difficile erit. Nimirum neque ante aestatem anni 191 a. Chr. n. regis legati Pergamo profecti sunt, ea de causa, quod inde a vere anni 192 usque ad aestatem anni 191 a. Chr. n. Eumenes ipse in Graecia versabatur, neque post anni 190 a. Chr. n. vernum tempus, quo Achaeorum auxilia Elaeam advenisse videntur. Itaque non dubium esse credo, quin Eumenes, si Antiochus et Seleucus in regnum cum copiis invasuri essent, cum suos ipsius exercitus esse hostium copiis impares haud ignoraret, primo vere

1) Quod gestum est haud dubie anno 190 a. Chr. n.; Fraenkel: l. l. p. 51 ad tit. 64 errore tenetur, cum haec omnia ad annum 191 a. Chr. n. revocat.

2) Minus accurata est narratio Ihnei: l. l. III. p. 116 sqq.: nam Achaei ad Pergamum proeliati sunt, postquam Antiochus Eleae pacisci cum Romanis conatus est, non antea aut eodem tempore.

anni 190 a. Chr. n. opem petiverit ab Achaeis. Qua cum re optime convenit, quod Diophanes Achaeorum praetor non fuit quo tempore in conventu ad Eumenis imperium tutandum in Asiam transire iussus est: nam praetura ille functus est eo anno, qui initium sumpsit ab autumno anni 192 a. Chr. n. Denique id dignum videtur memoratu, quod in Graecia Aetolis sex mensium indutiis datis non opus erat copiis.

Quae parva Achaeorum manus Elaeae e navibus egressa ab Attalo, qua erat calliditate, Pergamum deducta est [1]). Atque eis, qui sequebantur diebus, Diophani a Pergamenis ipsis strenue adiuto contigit, ut Seleucum oppugnatione desistere et exercitum ex agris Pergamenorum educere cogeret (cfr. Liv. XXXVII. 20 sq., App. Syr. 26).

Quas res a Diophane gestas Livius Polybii vestigiis insistens accuratissime persecutus est; unde quid mirum, quod, quae Diophanes Achaeique gesserunt, summis laudibus efferuntur, negleguntur contra, quae alii praestiterunt (cfr. Nissen l. l. p. 193)? Etenim ne iniuria hoc Livio crimini dari contendas, inspicias velim mecum singulas res. Atque primum quidem Diophanes suas copias solas in aciem produxisse dicitur, de Eumenis regis militibus, quos fuisse pugnae socios facile adducor ad credendum, ne unum quidem verbum legitur. Quid vero, quod Livius c. 20. 7 tradidit: aegre id permittente Attalo, quippe qui centum equitibus adversus sescentos, mille peditibus cum quattuor milibus pugnatorum cerneret e. q. s.? Neque alio spectant, quae leguntur c. 20. 14:

---

1) Mommsen: l. l. I. p. 734 non satis diligens est in verbis: 'aber die schlaff und nachlässig geleitete Belagerung gestattete dem Eumenes achaeische Hülfstruppen unter Diophanes in die Stadt zu werfen, deren kühne und glückliche Ausfälle die mit der Belagerung beauftragten gallischen Söldner des Antiochus dieselbe aufzuheben zwangen'. Nam Eumenes Adramyttei commoratus est, non Pergami aut Elaeae, cum Achaeorum auxilia Elaeam advenerunt (cfr. Liv. c. 19. 7 sq.). Itaque Attalo, non Eumeni laudi dandum, quod Achaei per medios hostes in urbem obsidione clausam sunt deducti (cfr. Livi ipsius verba 'quos egressos navibus obviam missi ab Attalo nocte Pergamum deduxerunt').

spectaverant enim a moenibus Pergami non viri modo sed feminae etiam e. q. s., quibuscum verbis bene concinunt, quae Appianus Syr. 26 narravit eiusdem Polybii relationem convertens in usum suum. At non incorruptum ille et aequum iudicem hac quidem in re se praebet, sed Achaeos favet iusto nimis. An putamus Attalum re vera copias Pergami retinuisse ratum Diophanem tam exiguis copiis nihil profecturum esse? Nonne ei magis conveniens fuit una cum Diophane in obsidentes erumpere omnibus copiis, quas multo maiores fuisse quam Achaeorum constat? Nam in pugna ad Magnesiam facta octingenti Eumenis equites dimicaverunt eodemque proelio interfuerunt Achaeorum et Pergamenorum tria milia ferme peditum (cfr. Liv. XXXVII. 39. 9). Adde, quod hieme anni 191/90 a. Chr. n. Eumenes duo milia peditum et quingentos equites in expeditionem eduxit (cfr. Liv. c. 8. 6 sq.). Dein nonne Attalus, priusquam Diophanes urbem intravit, saepius manus conseruerat cum Seleuco? Num igitur probabile est eum tot Achaeis adiutoribus facultatem pugnandi hostibus non dedisse, praesertim cum Diophanem semper fere victorem e certaminibus discedere videret? Ceterum Diophanis equites inferiores erant numero Seleuci — facile igitur receptui suorum ille consulere potuit atque omnem Diophanis impetum propulsare — nihilominus, qua erat temeritate, 'in postremum agmen incurrit, tantumque rursus pavoris ac tumultus incussit, ut, cum terga caederentur, nemo pugnandi causa restiterit; trepidantesque et vix ordinem agminis servantes in castra compulsi sunt. Haec Achaeorum audacia Seleucum ex agro Pergameno movere castra coegit' (cfr. Liv. c. 21. 3 sq.).

Quamquam proxime ad verum, puto, accedamus, si Attalum iterum Pergamenorum equites cum Diophanis coniunxisse arbitremur. Unum addiderim: videtur non solum Achaeorum audacia Seleucus commotus esse, ut obsidione relicta exercitum reduceret, sed ea potissimum re, quod eodem temporis momento classes Pergamenorum sociorumque ab Adramytteo Elaeam rediisse videntur.

Denique, ut hanc quaestionem absolvamus, non praetermiserim ad illa proelia referendum esse titulum anno 1881 p. Chr. n. Pergami repertum, quem ediderunt Conze: 'Die Ergebnisse der Ausgrabungen zu Pergamon' 1880/1 p. 49, Dittenberger: l. l. no. 208, Fraenkel: l. l. p. 51 no. 64. Hic quoque testis est sat dignus, cui fidem habeamus, Attalum illo tempore Pergamum urbem defendisse a Seleuco.

VI.

DE HONORIBUS EUMENI REGI AB ACHAEIS TRIBUTIS[1].

Confecto Nabidis bello altero plurima Achaeorum oppida omni genere honorum prosecuta esse Eumenem regem velim tibi persuadeas. Quales fuerint, facile ex Polybio conicitur, qui non solum imagines regis statuasque publice exstructas esse et titulos, quibus res a rege gestae celebrarentur, sed etiam novis, inauditis, non legitimis honoribus eum decoratum esse tradidit (cfr. XXVII. 18. 2, XXVIII. 7): scilicet, sicuti Schweighaeuser ad Polybium XXVII. 15 rectissime exposuit, aras statutas, instaurata sacra diesque festos esse institutos. Nam omnes istos honores post bellum cum Nabide iterum compositum Eumeni esse tributos perspicue inde apparet, quod, etsi Pergamenorum ille rex una cum Achaeis Romanisque adversus tyrannum anno 195 a. Chr. n. pugnaverat, non tamen erat, cur Eumenem ut deum colerent Achaei gratiamque ei referrent maximam. Etenim inter Graecos reliquos fere omnes imprimis Achaei pacis condiciones a Romanis Nabidi datas gravissime ferebant, quod, cum illi sperassent Nabide tyranno remoto ipsorum societati Romanos Lacedaemonem esse addituros, plane ad irritum spes ea ceciderat. Iam vero plane aliter res se habebat, cum tyranno ab Alexameno interfecto Philopoemeni prospere evenisset, ut Achaeorum societati Lace-

1) cfr. Meier: l. l. p. 378 sqq., Mommsen: l. l. I. p. 756 sqq., Hertzberg: l. l. I. p. 151 sqq., Ihne: l. l. III. p. 163 sqq. et p. 221 sqq.

daemonios adiungeret; tunc profecto habebant illi, cur Eumeni gratos se praeberent, qui bello interfuerat cuiusque auxilio victores e proeliis discesserant.

Atque cum tanta inter eos intercederet familiaritas amicitiaque, non cunctabantur Achaei oblata occasione Eumeni praestare officium mutuum. Sed ne longus sim, satis habeo provocasse ad ea, quae dixi de auxiliis anno 190 a. Chr. n. Diophane duce Pergamum missis. Iam vero post pacem cum Antiocho rege initam, quia nec Lacedaemonii omnia miscere et turbare desierunt nec Romani rebus Lacedaemoniorum Achaeorumque se interponere, magna est facta rerum et animorum commutatio et ex ipsa rei natura sequebatur, ut Achaei invidiam Romanorum etiam transferrent in Eumenem, qui illorum erat amicissimus. Neque dissimulabant acerbissimum hoc odium, quod Aristaeno praetore, hipparcho Polybio palam hoc modo profundebant. Eumenes enim, qui amissam Achaeorum amicitiam haud parvi pendebat, ut animos eorum aut mitigaret aut reconciliaret, sicuti multa Graecorum oppida muneribus amplissimis sibi obstrinxit (cfr. Liv. XXXXII. 5. 3), ita Achaeis centum viginti talenta dono dedit ea condicione, ut grandi fenore hanc pecuniam occuparent, ex usuris autem alerent, qui ad publicos conventus legati convenirent (cfr. Polyb. XXII. 10 sq., Diodor. XXIX. 17). Attamen id, quod petivit, adeo non assecutus est, ut Apollonida Sicyonio adhortante pecuniam accipere abnuerent despicerentque regem ipsum (cfr. Polyb. XXII. 11. 8).

Cuinam autem tempori haec vindicanda sint, perfacile envincitur e Polybio, qui l. XXII. 10 disertis verbis dicit Aristaenum Achaeorum praetorem fuisse, cum Philopoemen praetura se abdicavisset. Inierunt autem magistratum praetores inde ab anno 216 a. Chr. n. autumno vel accuratius initio mensis Octobris, quod primus sat certis testimoniis probavit Schorn: 'Geschichte Griechenlands von der Entstehung des achaeischen und aetolischen Bundes' 1833 p. 210 sqq.[1]), ad

1) Schornii asseclae sunt Nissen: l. l. p. 68 sqq. et p. 231 sqq. et Die Oekonomie der Geschichte des Polybius' Mus. Rhen. vol. XXVI. (1871)

quem se applicavit Klatt[1]), cum recensuit libellum, quem Unger inseruit actis acad. Monac. 1879, philos.-philol. cl. II. 2 p. 117 sqq.: hic enim, ut solet esse non satis diligens in temporibus exquirendis, falsissime docuerat Februario mense vel Martio eos praeturam suscepisse. Aristaenum autem ea functum esse inde ab ineunte mense Octobri anni 186 usque ad exeuntem Septembrem anni 185 a. Chr. n. Nissen: Mus. Rhen. vol. XXVI (1871) p. 248 sq. comprobavit, atque id solum relinquitur, ut eis, quas ille protulit, causis duas addamus. Altera est, quod Aristaeno praetore Achaeorum concilio Q. Caecilius Metellus legatus interfuit (cfr. Polyb. XXII. 13), qui Ap. Claudio Pulchro M. Sempronio Tuditano (cfr. C. I. L. I. p. 528/9) consulibus anno a. u. c. 569 (a. Chr. n. 185) cum M. Baebio Tamphilo et Ti. Sempronio in Graeciam missus ineunte eo, qui sequebatur, anno P. Claudio Pulchro L. Porcio Licino consulibus legationem renuntiavit (cfr. Liv. XXXIX. 33. 1). Alteram causam hanc affero: Q. Caecilius Metellus ex Macedonia Argos venit *τῆς πανηγύρεως ἀκμαζούσης*, ut Polybii verbis l. XXII. 13 utar, i. e. cum Nemea agerentur, ibique cum Achaeis congressus est, quorum praetor Aristaenus erat. Nemea autem aestiva, cum Panemo qui vocatur mense quarti uniuscuiusque Olympiadis anni celebrarentur[2]),

---

p. 244 sqq., A. Mommsen: 'Delphische Archonten' in Philol. vol. XXIV. (1866) p. 17 sqq., Weissenborn in altera editione Liviana (1873) ad l. XXXVIII. 33, Th. Mommsen: 'Die Gallische Katastrophe' in Hermae vol. XIII. (1878) p. 546 sqq., I. G. Droysen: 'Die Festzeit der Nemeen' in Hermae vol. XIV. (1879) p. 24 P. S.

1) 'Philol. Anzeiger' X. (1879/80) p. 502 sqq. et 'Chronologische Beiträge zur Geschichte des Achaeischen Bundes' prg. progymn. Berol. 1883, cui astipulatur Schiller in Bursiani annalium vol. XXXVI (1885) tom. III. p. 474 sq.

2) cfr. Schoemann: 'Griechische Alterthümer' II. Berol. 1873 p. 68 et Droysen l. l.; sed quod hic agitur de Nemeis aestivis, quorum cyclus festivus satis constare videtur, ea, quae Nissen: l. l. p. 231 monuit: 'Die Erwähnung der Nemeen *κγ* 10 (in ed. Hultsch. l. XXII. 13) kann nicht zur Zeitbestimmung dienen, weil der Cyclus derselben nicht feststeht' comprobari nequeunt.

acta sunt Ol. 148, 4 i. e. anni 185 a. Chr. n. mense Panemo, qui respondet Atheniensium Metageitnioni.

Utraque igitur ratiocinatione ad eundem deducimur finem, eo scilicet, ut inter Octobrem anni 186 et Septembrem anni 185 a. Chr. n. Eumenis legatos Achaeorum concilium — haud scio an id, quod Megalopoli habebatur ante Nemea acta — adiisse censeamus.

Neque vero munera ab Eumene ultro oblata superbe repudiasse satis habuerunt Achaei, sed, cum eos iam paeniteret regem quondam amplissimis honoribus decorasse, constituerunt, quos summos ei detulerant, honores tollere, ex quo decreto Sosigenes et Diopeithes, qui tunc erant iudices, privatis ex causis in regem offensi non solum, quos Achaei ipsi decreverant, sed omnes honores everterunt, quibus Eumenem affecerant. Quibus autem causis permoti Achaei illud consilium iniissent, Polybius ipse explanavit in oratione, quam Archone praetore habuit de Eumenis honoribus restituendis, verbis (XXVIII. 7. 8): *οὐ γὰρ ὡς ἠδικημένους τι τοὺς Ἀχαιοὺς βουλεύσασθαι τὰς τιμὰς αἴρειν τὰς Εὐμένους, ἀλλὰ μείζους αὐτοῦ ζητοῦντος τῶν εὐεργεσιῶν, τούτῳ προσκόψαντας ψηφίσασθαι τὸ πλεονάζον παρελεῖν.* Quando autem illis placuerit honores removere, qui essent indecori et contra leges, ut enucleemus fortasse ex Polybii verbis et Livi continget. Narrat enim Polybius XXVII. 18 et XXVIII. 7 Attalum, regis fratrem, Elatiae in hibernis versantem, cum optime sciret, quantos ille dolores ex Achaeorum decreto percepisset, iis persuadere conatum esse, ut Eumeni honores restituerent. Cuius precibus victum Archonem promisisse se in hac re perpetranda operam suam studiumque collocaturum esse, praesertim cum ipse sibi proposuisset, ut Achaeos Romanis reconciliaret (cfr. Polyb. XXVIII. 7. 1). Itaque dubium non est, quin ante Archonis praeturam honores regi abrogati sint. Munere autem eum functum esse Olymp. 152, 3/4 Nissen: Mus. Rhen. vol. XXVI. p. 249 explicavit. Nam A. Hostilius Mancinus consul anni a. u. c. 584 (170 a. Chr. n.) copias, ut scimus, in Thessalia circa Palae-

pharsalum in castris continuit, cum Q. Marcius Philippus consul anni a. u. c. 585 Roma principio veris profectus (cfr. Liv. XXXXIV. 1) in Graeciam advenit. Quibus ex hibernis A. Hostilius C. Popilium et Cn. Octavium legatos per civitates Graecas dimisit, atque postquam illi ex Peloponnesi oppidis discesserunt, Achaei praetorem Archonem, Polybium hipparchum creaverunt (cfr. Polyb. XXVIII. 3, et c. 6. 9, Liv. XXXXIII. 17). Itaque Archon praeturam mense Octobri anni 170 a. Chr. (Ol. 152, 3), iniit [1]). Concordat cum his rebus id, quod eodem mense Endyspoitropio, qui est anni Delphici mensis decimus respondens Atheniensium Munychioni, anni 169 a. Chr. n., Archon praetor erat, quo Laiadas Delphis erat archon, ut manifestum est e titulo apud Dittenbergerum no. 454 (cfr. A. Mommsen: l. l. p. 47).

Haec autum tertia Archonis praetura sola intellegi potest, nam prima [2]) Ol. 148, 1 (188/7 a. Chr. n.) excluditur propterea, quod, cum anno 185 a. Chr. n. Achaei Eumenis donum accipere abnuerent, honorum regis remotorum haud dubie facta esset mentio [3]), eodemque modo praetura altera Ol. 152, 1 (172/1 a. Chr. n.), quia illo tempore Archon, quo erat ut reliqui Achaei animo et consilio Romanis infestissimo, Attali precibus non esset obsecutus. Olymp. 152, 3 demum cessit Attalo, postquam concilio Achaico placuit Romanorum partes sequi (Polyb. XXVIII. 7).

Sed si fidem imputamus Livi verbis, quod optimo iure faciemus, cum sua ex Polybio deprompserit Livius (cfr. Nissen: l. l. p. 245 sq.), Eumenem iniuriam illam accepisse nonnullis annis ante Archonis praeturam tertiam asseverabimus. Eumenem enim, cum anno 172 a. Chr. n. apud senatum Romanos ad bellum contra Macedonas instigaret, haec dicentem facit Livius XXXXII. 12. 7: at hercule suos honores, cuius merita

---

1) Falso igitur Meier: l. l. p. 390 contendit eum praetorem fuisse inde a Maio mense anni 169 usque ad Aprilem 168 a. Chr. n.

2) cfr. Nissen: Mus. Rhen. vol. XXVI. (1871) p. 249.

3) cfr. Ihne: l. l. III. p. 163 sqq.

in eam gentem privatim an publice sint maiora, vix dici posset, partim desertos per incultum ac neglegentiam, partim hostiliter sublatos esse. Quibus ex verbis apparet ante annum 172 a. Chr. n. Achaeos regi honores illos ademisse.

Res cum ita se habeant, Th. Mommsen non pervicisse videtur, qui l. l. I. p. 757 anno a. u. c. 584 (170 a. Chr. n.) factum esse illud decretum posuit. Summa igitur est haec: Achaei consilium ceperunt inter annos 185 et 172 a. Chr. n. regis honores amovendi. Sed ex Polybii verbis XXVII. 18 *ὅτι Ἄτταλος χειμάζων ἐν Ἐλατείᾳ καὶ σαφῶς εἰδὼς τὸν ἀδελφὸν Εὐμένη λυπούμενον μὲν ὡς ἔνι μάλιστα καὶ βαρυνόμενον ἐπὶ τῷ τὰς ἐπιφανεστάτας αὐτοῦ τιμὰς ἠθετῆσθαι ὑπὸ τῶν ἐν Πελοποννήσῳ διὰ κοινοῦ δόγματος, ἐπικρυπτόμενον δὲ πρὸς πάντας τὴν περὶ αὐτὸν ὑπάρχουσαν διάθεσιν κτλ.* colligitur haud multis annis ante 170 a. Chr. n. id constituisse Achaeos, idque cum constet ante annum 172, malim statuere paulo ante annum 172 a. Chr. n. esse factum.

Qui honores Archone praetore anno 170/69 a. Chr. n. Eumeni regi sunt restituti. Illo autem tempore Attalus, cum et Achaeos et Archonem sibi petenti veniam daturos esse animadvertisset, legatos in Peloponnesum misit, qui Achaeos commoverent, ut fratri honores redderent. Tamen, quia non ita multo ante permultis invitis Achaei ad Romanorum societatem se applicaverant, legatis restiterunt et ii, qui ab initio postulantes, ut Eumenes honoribus privaretur, decretum conservari voluerunt et ii, qui regis iniurias privatas ulturi erant, et ii, qui obtrectatione commoti in eos, qui Attali causam defenderunt, elaborabant, ut impedirent, quominus Attalo obtemperaretur. Archon ipse, qui e sella surrexerat, ut Attali precum esset adiutor, paucissima verba postquam fecit, recessit. Tum Polybius, qui erat hipparchus, exstitit et orationem habens pro Attalo persecutus est Achaeos decrevisse eos tantummodo honores tollere, qui indecori essent et contra leges, et Diopeithem et Sosigenem, qui privatis de causis Eumeni fuissent invisi infestique, contra Achaeorum decretum et praeter ius fasque decoris oblitos omnes regis honores evertisse.

Achaeorum vero esse illorum iudicum importunitatem et quidquid in regem peccatum esset, emendare, praesertim cum non solum Eumeni, sed multo magis Attalo gratificaturi essent. Quibus verbis cum reconciliati essent Achaeorum animi, ut Eumeni honores, nisi quos regi ab Achaeis praebitos esse ad rem publicam parum deceret aut qui essent non legitimi, redderentur et legati mitterentur, quorum princeps esset Telocritus, qui Attalo renuntiarent regem in antiquum honoris locum restitutum esse, omnium consensu est constitutum (Polyb. XXVIII. 7 et 12. 7).

Valde autem dolendum est, quod unius tantum statuae reliquiae sunt conservatae. Titulum enim dico (C. I. Gr. 1188) statuae basi, quae Eumeni a Calauriensibus posita est, marmoreae inscriptum. Neque vero dubito, quin illa e numero eorum sit honorum, quos anno 170/69 a. Chr. renovare placuit Achaeis.

Corrigenda et addenda.

Lege p. 2 de médailles pro des medailles, et Varendorfiensis pro Vasendorfiensi, p. 5 v. 26 adde 2883 et 2888, p. 6 attributae essent pro attributa essent, p. 7 2881/2 pro 2281/2. 3208, p. 10 commoratus est pro commemoratus est, p. 11 dele seu Cyrtonio, p. 17 *μετὰ τὴν* pro *μετα την*, p. 26 (*θεᾶς Ἀπολλωνίδος Εὐσεβοῦς*) pro (*θεὰ Ἀπολλωνὶς εὐσεβής*), p. 28 v. 11 emitte Diod. XXXI. 28 et adde Ath. XV. p. 689a, Plut. frat. am. 18, Strab. XIII. 4. 2 p. 624, p. 32 *ἀποσπάσει* pro *ἀποστάσει*, p. 40 *σπουδὴν* pro *σπουδὴν*, p. 42 Diod. XXVIII. 5 pro XXXVIII. 5, p. 46 v. 11 1874 pro 1861.

VITA.

In oppidulo quod vocant Groitzsch natus sum Arthurus Curtius Meischke a. d. VIII. Kal. Dec. anni h. s. LXVI. Roberto patre, matre Aemilia e gente Schoenfelder, quos adhuc superstites veneror pio gratoque animo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis ibi imbutus Lipsiae, postquam parentes in hanc urbem transmigraverunt, gymnasium Nicolaitanum frequentavi, cui tunc praeerant magistri illustrissimi Lipsius, Vogel, Mayhoff. Vere anni LXXXVII. maturitatis testimonium adeptus per annum in celeberrima legione nostra 107 sum meritus eodem tempore, quo ad universitatem accessi Lipsiensem, ut philologis me dederem studiisque historicis. Docuerunt me viri doctissimi: Arndt, Brugmann, Busch, Gardthausen, Hanssen, Lamprecht, Lipsius, Maurenbrecher, Pueckert, Ratzel, Ribbeck, Richter, Schreiber, Struempell, Wachsmuth, Wenck, Wolff, Wundt, Ed. Zarncke.

Proseminarii philologi per tria semestria exstiti sodalis, seminarii regii, quod regunt Lipsius, Ribbeck, Wachsmuth, per duo semestria sodalis versatus sum ordinarius. Exercitationibus historicis ut interessem Gardthausen, antiquariis Lipsius, philologis Ribbeck, archaeologicis Schreiber benignissime concesserunt. In societate Lipsiana quattuor, Ribbeckiana tria semestria operam dedi litteris. Iam vero seminarium regium historicum moderantibus Buschio sex menses, Gardthauseno semestria quattuor, Maurenbrechero et Wachsmuthio

bina frequentitavi. Denique ad geographicum Ratzelii seminarium mihi patuit aditus et ad paedagogicum Richteri.

Quibus viris doctissimis illustrissimisque quantum debeam, grato animo recordabor. Semper autem cum Lipsium et Ribbeckium et Schreiberum in memoria assidua tenebo, tum Victorem Gardthausenum atque Curtium Wachsmuthium, qui studiorum benevolentissimi meorum fautores adiutoresque exstitere.

D 719K

3 2044 024 346 769

THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.

WIDENER

APR 05 1995

BOOK DUE